


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
E
53
NAPOLI

PHILOSOPHIÆ
DEFINITIVÆ
PARS ALTERA

Capiens


DEFINITIONES
EX OMNI PHILOSOPHIA ACTIVA
A LIB. BAR. A VVOLF
A C
MICHAEL. CHRIST. HANOVIO
EDITAS,
Nunc vero
A M. FRIDER. CHRIST.
BAUMEISTERO
Augusti Gymn. Gorlic. RECTORE &c.
A C
M. JO. CHRIST. MESSERSCHMID
Academ. Jen. & Lipſ. ſodali &c.
in unum collectas.





LUCÆ, MDCCLXXVI.
Sed proſtant VENETIIS
TYPIS JACOBI CAROBOLI.

Superiorum Facultate, ac Privilegio.



IN exilio, heus, lector benevole, nomen calamitatis, non turpitudinis, quod, & per duos jam annos passus sum, & adhuc eo patior modo, ut vitæ præsentis pertæsus sim, quid agerem, ad horum temporum molestias atque miserias cum ferendas, tum leniendas, sæpissime anceps, incidi in philosophiæ activæ volumina, quæ perillustris liber baro a WOLF quidem incepit, at celeberrimus philosophiæ in Gedanensi gymnasio doctor HANOVIUS effecit. Hujus sophi, cujus disciplinæ a primis ætatis meæ annis addictus fui, placita calamitate hac publica accurato dum revolvi, definitiones ibi obvias seligere, in animum institui; labor, quem eo utiliorem esse arbitror, quo certius est, hujus sapientis definitiones tantum valere, quantum, & post fata ejus adhuc philosophia. Ex doctissimo BAUMEISTERO sumsisse me exemplum, &, quidquid ille ex philosophia jam attulit

practica, si fieri potuit, retinuisse, vel oculis potest judicari, quare factum est, ut, hujus viri nomen in libri inscribere fronte, minime duxerim nefas. Plures quoque, quam factum est, observationes interserere, in voluntate fui. Sed ad librariam supellectilem pro dolor! aditus clausus est. Proinde libertam incultus in publicum prodit, qualem decet exulis esse. Vitembergæ Saxonum, Cal. Maiis CIↃ IↃ CCLXII.

M. JO. CHRIST. MESSERSCHMID

DE-



DEFINITIONES
EX
PHILOSOPHIA PRACTICA UNIVERSALI.



Cientia affectiva est scientia, voluntatem, & noluntatem ad actus suos determinandi.

Scientia practica est scientia, locomotivam facultatem, vel etiam cognoscitivam determinandi ad actus externos vel internos voluntati, & noluntati conformiter exsequendos vel omittendos.

Actiones tam animæ quam corporis dicuntur *naturales*, vel *necessariæ*, quæ per essentiam, & naturam animæ, & corporis determinantur; *liberæ* autem, quæ per essentiam, & naturam animæ, & corporis non determinantur, sed a libertate animæ pendent.

SCHOL. Sic repræsentatio simplex in anima est actio naturalis. Quæ enim cum sequatur ex vi repræsentativa animæ, vel etiam nobis invitis: dubium non est, quin illa repræsentatio simplex per naturam animæ etiam citra nostram deliberationem determinetur. Talis quoque actio est concoctio stomachi, utpote quæ ex stomachi structura, & vi ejus insita provenit, etiam citra nostram deliberationem.

 Quem

Quem ad modum vero actio per naturam nostram determinatur, cum ratio sufficiens, cur actio adsit, & cur hæc præcise, nec alia sequatur actio, in ipsa natura hominis, sive in vi activa intrinseca vel animæ, vel corporis latet: ita actio per liberam hominis voluntatem, sive deliberationem determinatur, cum ratio sufficiens, cur actio sequatur, cur hæc potius, quam alia committatur, reperitur in libera hominis voluntate. Sic actio libera est, scholas philosophicas frequentare, alios conviciis proscindere, rel. Hęc enim omnia ex libera nostra voluntate originem suam repetunt.

Actio positiva dicitur, quę actu editur; *privativa* autem est cessatio actionis essentię ac naturæ entis alias convenientis. Si actio est libera positiva, *factum commissionis*, negativa vero *factum omissionis* appellatur. *Actionem committere* dicitur, qui, cum ab ea abstinere posset, eam edit; *omittere* autem, qui, cum edere posset, ab ea abstinet.

Ignorantia, quę absentia notionis est, sive rei simpliciter apprehendendæ inserviat, sive judicio cuidam respondeat, dicitur *vincibilis*, quæ evitari potest, modo velimus, *invincibilis* vero, quam evitare non possumus, vel non potuimus.

Error dicitur *vincibilis*, qui evitari potest, modo velimus, *invincibilis* vero, quem evitare non possumus, vel non potuimus.

Actio dicitur *in se bona*, quæ per determinationes essentiales bona est, hoc est, si ex iis determinationibus, per quas concipitur tamquam actio ab aliis genere, vel specie distincta, seu certi cujusdam generis aut speciei, demonstrari possit, quod sit bona. *In se mala* vero, quæ per determinationes essentiales mala est, hoc est, si ex iis determinationibus, per quas concipitur tamquam actio certi cujusdam generis, vel speciei, demonstrari possit, quod sit mala.

SCHOL. *Actio bona* quoque dicitur, quæcumque hominem ejusque statum perfectiorem reddit, *ma-*

la

la vero, quæcumque hominem ejusque statum corrumpit seu imperfectiorem reddit. Illud fit, si cum fine, ad quem nos conditi sumus, consentit, ejusdemque obtinendo accommodata est; hoc vero, si fini, ad quem tendere debebat, minus est conveniens. Atqui finis, ad quem nos supremum condidit numen, est felicitas. Proinde *actio bona* est, quæ felicitatem nostram promovet, & *mala*, quæ illam destruit.

Bonitas actionis intrinseca appellatur, quæ eidem competit per ea, sine quibus concipi nequit, seu propter determinationes essentiales, & accidentales ejusdem, seu, quod perinde est, quæ rationem sufficientem in istis determinationibus habet. *Malitia* vero *actionis intrinseca*, quæ eidem competit per notionem ejusdem, seu propter determinationes essentiales ejusdem, seu, quod perinde est, quæ rationem sufficientem in istis determinationibus habet.

SCHOL. Dicitur hæc etiam moralitas *objectiva*, quia scilicet ratio bonitatis, & malitiæ ex ipsa objecti indole petitur. Si ergo quæsiveris, cur avaritia sit actio mala, & amor proximi bona, tunc moralitatis objectivę defensores rationem ex ipso objecto, scilicet ex actionis natura repetunt. Qui hanc vel defenderunt, vel rejecerunt, non attinet hic commemorare. Legi autem post S. R. VVALCHIUS *in lexic. philos. sub tit. Moralitas*, HENR. KLAUSING. *diss. de interna bonitate ac malitia actuum moralium*, Vit. 1709. BUCKY *de moralitate actionum intrinseca*, Lips. 1732. CANTZIUS *in usu philos. Leibn. & VVolf. in Theol. T. I. p.* 445. *seqq.* DAN. MAICHELII *diss. de usu moralitatis objectivæ per universam philosophiam practicam ipsamque theologiam revelatam latissime patente*, Tubing. 1740.

Actio per se indifferens dicitur, quæ per determinationes essentiales neque bona, neque mala est, hoc est, si ex iis determinationibus, per quas concipitur tamquam actio certi generis, vel speciei de-

monstrari non possit, quod sit bona, nec quod sit mala.

SCHOL. Vid. Jo. GOTTL. VVALDINI *diss. de eo, quod dicitur indifferens*, Jen. 1755. Jo. ANDR. GROSCHII *diss. de indifferentia actionum hominis moralium*, Jen. 1746.

Actio humana recta est, quæ rationem sufficientem in essentia, & attributis hominis habet, consequenter nulli determinationi essentiali, vel hinc pendenti attributo contradicit. At *minus recta* est illa, quæ determinationi cuidam essentiali vel pendenti hinc attributo hominis contradicit. Itaque *rectitudo actionis humanæ* est convenientia cum omnibus hominis essentialibus. *Convenire* autem cum hisce dicitur *actio*, quæ in iis simul sumtis rationem sufficientem agnoscit, consequenter per eas explicari potest, cur talis potius sit, quam non sit, ac esse debeat.

Facultas locomotiva dicitur potentia localiter movendi corpus ejusque partes.

Motus corporis ejusque partium liberi appellantur, quę fiunt anima volente.

Notio ationis sufficienter determinata dicitur, si eas continet determinationes, ex quibus demonstrari potest, utrum bona sit an mala.

Ratiocinium definitivum, vel etiam *syllogismum definitivum* appellare lubet, quo ex notione actionis, cujus patrandæ occasio offertur, ope principii generalis, quod bonitatem vel malitiam istiusmodi actionis determinat, elicitur judicium de bonitate vel malitia actionis in dato casu singulari.

Judicium dicitur *casu verum*, si ex præmissis, ex quibus infertur, non sequitur, verum tamen fuerit.

Per se appetibile dicitur, quod tale est, ut distincte cognitum appetatur, seu, ut idem velimus, quam primum distincte cognoscimus, quale sit. Ex adverso *per se aversabile* appellatur, quod tale est, ut distincte cognitum aversemur, seu idem no-

nolimus, quam primum cognoscimus distincte, quale sit.

Obligatio est connexio motivorum cum actionibus.

SCHOL. Cum hanc definitionem sciam compluribus minus probari, id nunc agam, ut eam paucis explicem, & illustrem, ejusdem convenientiam cum aliis obligationis definitionibus demonstrem; objectiones tandem potiores commemorem, & refellam. Quid sint motiva; quid nexus, sive connexio, id non est quod multis exponam, cum hæc jam exposita, & definita meminerim in metaphysicis. Connectere autem motiva cum actionibus alterius est nihil aliud, quam repræsentare alteri, & proponere, vel bona, vel mala, vel commoda, vel incommoda, per quæ alter, vel ad actionem incitetur, & determinetur, vel ab actione deterreatur; & retardetur. E. g. cum Deus Adamum, & Evam, primos generis humani satores, condidisset, ipsis proponebat legem, qua ab arbore quadam definita fructus decerpere prohibentur. Subjungebat legi Deus statim comminationem mortis tamquam motivum, per quod ab actione prohibita revocarentur; atque per connexionem hujus motivi cum actione Adami fugienda obligabat Deus Adamum ad actionem illam quovis modo devitandam. Sic magistratus homines ad omittendum furtum obligat, cum ipsis certam hujus vitii pœnam constituit. Contra hanc definitionem novi permulta esse monita, quæ, quanti sint momenti, paucis dispiciemus. Objicitur (α), in hac definitione abesse ideam Dei, tamquam superioris, quæ abesse non possit. Respondent hic nonnulli pro VVOLFIO, recte id affirmari de obligatione externa. Cum vero VVOLFIUS obligationem generalius definiverit, ita, ut cum externam, tum internam, hac ipsa definitione comprehenderit, mirum non esse, ipsum definitionem suam ita adornasse. Est autem illa, de qua modo dictum, interna obligatio nihil aliud, quam illa obligatio, quæ

quę ex actionis suscipiendę indole petitur. Constat scilicet, quamlibet actionem liberam consequentias, vel bonas, vel malas secum habere conjunctas, per quas quidem actionum consecutiones tanquam motiva homo, vel ad actionem invitetur, vel ab eadem deterreatur (. β). Secundum hanc definitionem parem parem, amicum amicum posse obligare. Cum enim amicus cum alterius amici actionibus motiva connectere queat, & par pari multas proferre rationes, cur hęc illave actio sit suscipienda, obligationem secundum VVOLFIUM adesse scito. Resp. Obligatio hic adest imperfecta. Plures objectiones videas in doctissimi TREVERI *notis ad Pufendorfii* liber. de off. H. & C. p. 53. seq. conf. CANTZ. *in usu philos. in theol.* Tom. I. p. 458. seq. Sin minus hæc definitio tibi placuerit, dic cum Cel. SYRDIO; *obligatio est necessitas moralis ad agendum, in genere ad præstandum aliquid*, vel cum Cl. HASSENIO *in synops.* p. 372. pos. 142. *obligatio est necessitas moralis, præstandi id, quod mutuo consensu fuit placitum*; quę tamen definitio est specialis, & tantum de obligatione pacti intelligenda. Generalis autem habetur *in cit. synops.* p. 64. pos. 91. & p. 170 pos. 42. Præterea Cl. KOEHLERUS *in peculiari diss. de obligatione morali*, Jen. 1723. habita, hanc obligationis notionem VVolfianam distincte evolvit, eamdemque cum THOMASII definitione conciliat, qui obligationem in metu periculi, & spe lucri quęrit, Conf. *fundament. I. N. & G.* L. I. c. 4. §. 60. De obligatione vid. VVALCH. *in lexico philos. sub tit. Verbindlichkeit*, JAC. ADELUNG in diss. *de vera obligationis natura, & usu* Jen. 1727. CHRISTOPH. FRID. SCHOTT. diss. *de notione obligationis* Tubing. 1754.

Moraliter necessarium est, cujus oppositum moraliter impossibile. Si oppositum revera moraliter impossibile, *vere tale* est. Sin oppositum pro moraliter impossibili habetur, cum non sit, *apparenter tale* est.

Ne-

Necessitas moralis agendi, vel non agendi, dicitur *obligatio passiva*, *activa* autem connexio motivi cum actione, sive positiva, sive privativa.

Obligationi satisfieri dicitur, si obligatus agit, vel non agit, ad quod agendum, vel non agendum obligatur. *Actus obligatorius* dicitur, quo ob ligatio inducitur passiva. *Obligatio naturalis* est, quæ in ipsa hominis rerumque essentia atque natura rationem sufficientem habet.

Lex dicitur regula, secundum quam actiones nostras determinare obligamur.

SCHOL. Contra hanc definitionem, vel hoc unicum excipi potest, quod in ea vocabulum metaphoricum, scilicet vox regulæ adhibetur. Sed constat ex regulis logicis, vocabula metaphorica tum posse adhiberi in definiendo, cum vocabulum fuerit determinatum, & a sensu ambiguo liberatum. Jam vero, cum VVOLFIUS in metaphysica definiverit regulam per propositionem, quæ vel faciendum quid dictitat, vel fugiendum præcipit, hanc vocem hic optime adhiberi posse intelligitur. Alii definiunt legem per decretum superioris obligans inferiorem. conf. CANZ. *usum philos. in theol.* p. 435. HASSENII *synops. philos. mor.* p. 268.

Ratio legum moralis est, quæ desumitur a rectitudine actionis; *historica* quæ desumitur a facto: *legalis*, quæ desumitur ex alia lege.

Lex naturalis seu *lex natura* est, quæ rationem sufficientem in ipsa hominis rerumque essentia atque natura agnoscit.

Legem servare dicimur, quando actiones nostras secundum eam determinamus, committendo scilicet actiones, ad quas committendas per eam obligamur, & omittendo actiones, ad quas omittendas per eam obligamur. Unde *custodiam legis* dicemus determinationem actionum liberarum secundum legem. *Legem* autem *transgredi* dicimur, si actiones contraria ratione determinamus, quæ juxta eam omittendæ & omissis, quæ juxta eamdem fuerant committendæ,

Un-

Unde *transgressio legis* est determinatio actionum contra legem, seu eidem contraria.

Lex positiva dicitur, cujus obligatio dependet a voluntate Dei: *humana*, cujus obligatio dependet a voluntate hominis, vel hominum plurium.

Conf. Jo. PHIL. KOCHII lex positiva divina eaque universalis non chimera. Giess. 1743. GEORG. GOTT FRID. KEUFFEL diss. de legibus divinis positivis universalibus, Helmst. 1751. Jo. GOTTL. VVALDINI diss. de legibus positivis divinis universalibus. Jen. 1756. Jo. GOTTL. JACHMANN de genuino charactere legum divinarum positivarum universalium, Lips. 1749.

Jus est facultas agendi, quod moraliter possibile est; & non agendi, quod moraliter impossibile est. Vid. DAN. MAICHELII diss. de genuina notione juris, Tubing. 1764.

Jus naturæ seu *naturale* est illud jus, quod vi legis naturalis hominibus competit. Si illud rationem sufficientem in essentia ac natura hominis ac brutorum communi, aut, si mavis, in iis, quæ homini ac brutis communia sunt, habet, dicitur *jus naturæ commune* hominum scilicet ac brutorum. Si vero rationem sufficientem in essentia ac natura hominis propria, seu in eo, quo homo a brutis differt, aut si mavis, in differentia specifica hominis a bruto; *jus naturæ proprium* scilicet hominum appellatur.

Lex prohibitiva, quæ obligat ad aliquid non agendum, dicitur uno vocabulo *prohibitio*, quia actus legis prohibitivæ est prohibitio. *Præceptiva*, quæ obligat ad aliquid agendum, dicitur vocabulo uno *præceptum*, quia actus legis præceptivæ est præcipere: *Permissiva*, quæ dat agendi, & non agendi jus, non tamen ad agendum, vel non agendum, dicitur uno vocabulo *permissio*. *Lex tacite permittere* dicitur id, ad quod agendum, vel non agendum lex nulla nos obligat, neque jus dat.

Id, ad quod agendum obligamur, dicitur *debitum*.

Id, ad quod omittendum obligamur, dicitur *illicitum*. Id, ad quod agendum tantummodo jus habemus, aut, quod nec præceptum nec prohibitum, *licitum* appellatur. *Naturaliter debitum* est, ad quod lege naturali præceptiva obligamur. *Naturaliter illicitum* est, ad quod omittendum lege naturali prohibitiva obligamur. *Naturaliter licitum* est, ad quod lex naturæ permissiva nobis dat jus.

Honestum dicitur, quidquid obligationi ac juri naturali convenit, seu id, quo fit, quod naturaliter debitum & licitum. *Inhonestum*, vero, quod obligationi ac juri naturali repugnat.

Honestus appellatur, qui agit ea, ad quæ agenda obligatur, & quæ jure suo agere potest, minime vero ea, ad quæ non agenda obligatur, & quæ nullo jure, agere potest. *Inhonestus* autem, qui agit ea, ad quę omittenda obligatur, & quę nullo jure agere potest.

Per se bonum dicitur, quod bonum esse demonstrari potest, independenter a voluntate Dei, vel hominis, qui nos obligandi jus habet. *Per se malum* vero, quod malum esse demonstrari potest, independenter a voluntate Dei, vel hominis, qui nos obligandi jus habet.

Leges naturales primitivæ sunt, quę ex essentia & natura hominis & iis, quæ per eamdem ipsi insunt, hoc est, ex essentia, natura & attributis ejusdem immediate demonstrantur, *derivativæ* autem, quę ex legibus aliis deducuntur.

Lex naturæ perfectiva dicitur, quæ obligat ad id, quod est melius altero, eidem præferendum.

Id, quod agens liberum decet, unico vocabulo dicitur *decorum*. Quam ob rem cum *agens liberum quid deceat*, si in iis, quæ ipsi per naturam insunt, contineatur aliqua ratio, cur hoc potius velle debeat, quam aliud, decori ratio petitur ab iis; quæ homini aut statui ejus externo, qui tamquam ad eum pertinens spectatur, insunt, aut illi inesse debent. Id ex adverso, quod hominem dedecet, *inde-*

de-

decorum vocabulo unico appellatur. *Dedecet* autem, quod disconvenit cuidam eorum, quæ ipsi insunt vel inesse debent, vel si in statu ejus externo continetur aliqua ratio, cur idem potius nolle debeat quam non nolle. *Naturale decorum* & *indecorum* dicitur id, quod modo definivimus, quatenus nempe per ea, quæ homini, vel natura insunt, vel vi legis naturalis inesse debent, & huic convenientem ejusdem statum demonstrari potest, quod sit decorum, vel indecorum; *arbitrarium* vero, quod non nisi hominum opinione pro decoro, vel indecoro habetur.

SCHOL. Vid. LUD. MART. KAHLE *diss. de decoro*, Hal. 1735. MART. HASSEN diss. de decoro, variisque doctorum placitis, & scriptis, eo pertinentibus, VVitteb. 1740. Decorum esse jus naturæ erga alios, quod circa actiones minimas versatur, ait, v. cl. CHLADENIUS in nova philos. definit. p. 163. Nimirum actiones minime sunt levissimæ; atque propterea nihil aliud pro mensura scilicet nostræ cognitionis efficiunt, quam ut placeant aut displiceant. Nemo autem non videt, actiones, quæ displicent, omittendas esse eam ob causam; quod amoris mutui ingens impedimentum sunt. E. gr. gesticulationes in sermonibus & colloquiis familiaribus decoro adversantur. Eæ tamen nihil damni afferunt circumstantibus, ac ne quidem verum metum, cum probe sciant, sibi cum amico rem esse; Displicet tamen illa non necessaria membrorum iactatio; & ideo decoro repugnare judicatur. Solet autem decorum apud eos negligi, qui non sunt delicati, neque rerum, quæ unice placent aut displicent, rationem habent; e. gr. rustici, ab aliis mediocriter coli, ab iis nempe; qui, quod in urbibus fieri solet, sensus magis acutos, & imaginationem non tardam habent; ab aliis denique cum legibus justi atque honesti prope eodem loco haberi, nempe ab iis, qui acriori sensus atque imaginationis vi pollent, cujusmodi homines reperiuntur in aulis

per

per longam pacem ad elegantiam excultis. In aulis enim, quę, uti olim fieri consueverat, castrorum speciem habent, & castrensibus hominibus replerę sunt; elegantię non magna habetur ratio. Præterea justum, honestum & decorum & facillime & utilissime distingui posse putamus. Justum omnes gentes omnisque conditionis homines præstandum esse non dubitant, ideo quod & ferocissimæ gentes agnoscunt; neminem esse lædendum. Honestum populis saltem elegantioribus & inter hos philosophis curæ est, utpote qui intelligunt, amorem aliorum inter ornamenta generis humani numerandum esse, amorem autem illum non solum postulare, ut ne aliis noceamus, sed etiam ut prosimus. Decorum denique non nisi a certę conditionis hominibus coli solet, qui nempe satis ingenii, acuti sensus & otii habent, ut ipsas actiones minimas accurate distinguant, iisque vel offendantur vel delectentur.

Officium dicitur actio juxta legem determinata; quatenus ad eam ita determinandam obligamur. *Naturale* est actio, juxta legem naturalem præceptivam & prohibitivam determinata. *Positivum* in committendo consistit, *privativum* in omittendo. Nimirum illud actio est, ad quam committendam, hoc vero actio, ad quam omittendam obligamur. *Officium erga seipsum* nuncupatur, quod homo sibimet ipsi debet, *erga alios*, quod debetur aliis, *erga Deum*, quod debemus Deo.

Jus perfectum dicitur, quod conjunctum est cum jure cogendi alterum, si obligationi suę satisfacere noluerit; *imperfectum* contra, cum quo jus cogendi non conjunctum, ubi alter obligationi, quę eidem respondet, satisfacere non vult.

Perfecte mihi obligaris, si, ubi obligationi satisfacere nolueris, mihi competit jus, te cogendi, seu vi adigendi, ut hoc facias. Unde patet, te mihi obligari perfecte ad id, in quod mihi jus perfectum competit, quippe quod jus cogendi, ut obligationi satisfa-

tisfa-

tisfacias, involvit. *Imperfecte* vero, quando, ubi obligationi satisfacere nolueris, nullum mihi est jus te cogendi, ut facias. Unde patet, te imperfecte mihi obligari ad id, ad quod mihi jus non nisi imperfectum est.

Injustum dicitur, quidquid fit contra jus perfectum alterius, *iniquum* vero, quidquid fit contra jus imperfectum alterius. Itaque *injustitia* est vitium, quo quis committere non veretur, quod fit contra jus alterius perfectum, consequenter, quo idem vel tollitur vel diminuitur, vel usus ejus quomodocumque impeditur, atque *iniquitas* vitium, quo quis committere non veretur, quod est contra jus alterius imperfectum, consequenter quo idem vel tollitur, vel dimininuitur, vel usus ejus quomodocumque impeditur. *Fit* autem *contra jus alterius* id, quod idem vel tollitur, vel diminuitur vel usus ejus quomodocumque impeditur. Quoniam in civitate jura perfecta definiuntur lege lege civili, *injustum* vulgo appellari solet, quod legi civili contrariatur, *iniquum* vero, quidquid soli legi naturali repugnat. *Justum* ex adverso est, quod convenit juri perfecto alterius, seu, quod fit juxta jus perfectum alterius; *æquum* vero, quod convenit juri perfecto alterius, seu, quod fit secundum jus imperfectum alterius. Fit autem *secundum jus alterius*, quando nihil contra idem committitur, nec quidquam omittitur, quando stante eodem fieri debet. Quoniam in civitate jura perfecta lege civili definiuntur, *justum* vulgo appellatur, quod legi civili convenit, *æquum* vero, quod convenit soli legi naturali.

Quod legi conforme est, dicitur *moraliter bonum*, quod eidem difforme, *moraliter malum*. Nimirum eatenus quid moraliter bonum censetur, quatenus convenit legi præceptivę, eatenus vero moraliter malum, quatenus lege prohibetur.

Legem promulgare idem est ac efficere, ut iis innotescat, quos obligare debet. Unde *promulgatio legis* est

eſt actus, quo ad notitiam legis perducuntur, qui eadem tenentur. Dicitur etiam *publicatio*.

Utile nobis dicitur omne id, cujus aliquem facere possumus usum, seu, quidquid usui cuidam nostro inservire poteſt. Unde *utilitas* eſt aptitudo prȩſtandi nobis aliquem uſum. *Inutile* vero, quod nobis nulli eſſe poteſt uſui, ut adeo *inutilitas* ſit defectus aptitudinis prȩſtandi nobis aliquem uſum.

Auctor legis dicitur, qui eam condit; *legislator* vero, qui legem ſervari jubet ſeu prȩcipit.

Pœna eſt malum phyſicum, ab eo, qui alterum obligandi aliquod jus habet ob malum morale ei immiſſum. *Pœna* dicitur *emendatrix*, quæ ab eo, qui lȩſit, repetitur, ut animum lȩdendi mutet, *exemplaris* vero, qua, qui te lȩſit, afficitur, ut aliis metus incutiatur, quo abs te aliiſve lædendis deterreantur; *gravis*, qua magnum alteri infertur malum; *levis*, qua exiguum; *corporis afflictiva*, quæ dolorem facit in corpore, ſed mortem non affert; *civilis*, quȩ irrogatur ob delictum privatum; *criminalis*, ob publicum; *arbitraria*, quæ a legibus aut conſuetudine deſumta non eſt, ſed arbitrio judicis determinanda relinquitur; *capitalis*, ſeu *ultimum ſupplicium*, quo vita adimitur; *crudelis*, qua damnum datur corpori aut ſanitati, vel cruciatu horrendo afficitur corpus; *infamis*, quȩ cum ignominia conjuncta eſt, vel famȩ nocet. *Pœnam inter ſe communicare* dicuntur, qui ſimul puniuntur ob lȩſionem alterius, ſeu quia aliquis lȩſus fuit. *Pœnam remittere*, qui, eum, quem licite punire poterat, non punit. *Pœna mitigari*, ſi quis eum, quem graviori pœna licite afficere poterat, leviori afficit. Pœnæ, quam quis facto ſuo meruerat, remiſſio, *venia*. *Præmium* eſt bonum, quod confertur in alterum ob actionem, ſive privativam ab eo, qui ad id conferendum eidem non obligatur. Adjectio pœnæ ad legem poſitivam dicitur *ſanctio pœnalis*.

SCHOL. GROTIUS definit pœnam per malum paſſionis propter malum actionis. Cel. autem HASSE-

NIUS plenius; &, ut, verum dicam, clarius definit pœnam in synopf. p. 691. per coercitionem seu ultionem delicti a superiore seu magistratu jus puniendi habente certi inflictione mali ob civitatis salutem, ac lædentis læsique utilitatem rite factam.

Obligatio positiva est, quæ proficiscitur a voluntate entis cujusdam rationalis, veluti Dei seu hominis, seu a voluntate legislatoris.

Pœna naturalis dicitur, quæ ex actione necessario sequitur, *positiva*, quæ cum actione libera connectitur ex mera voluntate legislatoris. *Præmium naturale* dicitur, quod ex actione necessario consequitur, *positivum* vero, quod cum actione libera connectitur mera dantis voluntate, vel quod ex actionibus ipsis non consequitur, sed mera dantis vel legislatoris voluntate cum iisdem connectitur.

Virtus, quæ habitus est actiones suas legi naturali conformiter dirigendi dicitur *philosophica*; seu habitus conformandi actiones legi naturali ob intrinsecam earundem bonitatem ac malitiam, & *theologica* seu *christiana*, seu habitus conformandi actiones legi naturali ac voluntati divinæ vi motivorum, quæ a veritatibus divinitus revelatis de opere in primis redemtionis desumuntur. Quæ si nulla hypocriseos labe inficitur, *infucata*. *Vitium* contra est habitus actiones suas contraria ratione dirigendi, quam legi naturali præscribitur.

SCHOL. Cel. HASSEN. virtutem ita definit: Est serium & constans propositum ac studium, voluntati divinę in omnibus obsequendi, conf. synopf. p. 142. quam quidem definitionem credo cum nostra facili negotio conciliari posse. Vid. GEORG. FRID. MEIERI diff. de virtutis philosophicę cum christiana convenientia & disconvenientia, Hal. 1750. EL. FRID. SCHMERSAHL comment. de virtute, Jen. 1740.

Pietas philosophica vocatur habitus conformandi actiones legi naturæ vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina desumtorum, quatenus lu-

lumine rationis innotuerunt; *impietas* vero vitium, quo quis actiones suas ad voluntatem Dei componere non vult.

Impotentia naturalis vocatur, cui tollendæ pro rerum nostrarum statu non sufficimus; *infirmitas* autem *naturalis* est impotentia naturalis actiones suas juxta legem naturę dirigendi.

Beatitudo philosophica, seu *summum bonum* hominis est non impeditus progressus ad majores continuo perfectiones. *Summum malum* contra continuus progressus ad majores in dies imperfectiones.

Voluptas nocua est, quæ tædium sive molestiam parit, vel etiam in tædium degenerat. *Degenerat in tædium*, si ex eodem objecto, ex quo ante voluptatem perceperamus, nunc tędium percipimus. *Parit tædium*, si ex eo, unde voluptatem perceperamus, quidquam sequitur; ex quo tædium percipimus; *Voluptas*, quę nec in tædium degenerat, nec tædium sivę molestiam parit, *innocua* est, *transitoria* autem, quę non nisi exiguo temporis spatio durat, nunquam reditura.

Tædium dicitur *innocuum* vel *molestia innocua*, si voluptatem veram parit, vel etiam in eadem degenerat, dici etiam poterat *proficuum*, *transitorium* autem, quod non nisi brevi temporis spatio durat, nunquam posthac rediturum.

Fortunatus dicitur, qui bonorum fortunæ fit particeps.

Facultas judicandi de moralitate actionum nostrarum, utrum scilicet sint bonæ, an malæ, utrum committendæ, an omittendæ, dicitur *conscientia*: Nonnulli conscientiam vocant ipsum actum judicandi, seu judicium de actionum moralitate utrum bonę sint, an malæ, utrum committendæ, an omittendę. Unde homini tribuitur conscientia, quatenus experimur, istiusmodi facultatem ipsi competere.

Judicium theoreticum vocatur, quo actionem vel bonam vel malam esse affirmatur, *practicum* vero, quo

quo affirmatur, actionem esse, vel committendam, vel omittendam.

Si judicium de actione tam theoreticum, quam practicum rectum, fuerit, *conscientia* dicitur *recta*; sin falsum, *erronea*.

NOT. Vid. PET. AHLVVARDT diss. de conscientia errante, ejusque obligatione, Gryph. 1754.

Si de veritate judicii sive theoretici, sive practici, quod de actione ferimus, fuerimus convicti, *conscientia certa* est. Si saltem ejusdem probabiles habuerimus rationes, *probabilis*. Si dubitemus, utrum judicium nostrum de actione sit verum, an falsum, *dubia*.

Rationes in contrariam contradictionis partem occurrentes, ob quas scilicet veremur, ne actio a nobis patrata, vel patranda sit mala, *scrupuli conscientiæ* appellantur.

Si de actione feratur judicium ante actionem patratam, seu de actione patranda, hoc est, vel committenda, vel omittenda, *conscientia* dicitur *antecedens*. *Consequens* vero, si judicium fertur de actione jam perpetrata, hoc est, vel commissa, vel omissa.

Si judicium de actione fuerit theoreticum, *conscientia* vocatur *theoretica*, *practica* vero, si practicum.

Quando judicium de actione committenda, vel omittenda fertur, vel animum ad singulares circumstantias in casu dato obvias advertimus, vel ad eas non respicimus. Quodsi judicium practicum feratur, nondum spectatis circumstantiis particularibus, conscientia dicitur *theoretice-practica*. Sin vero spectatis circumstantiis particularibus, conscientia *practice-practica*. Si in dato casu singulari de actione committenda, vel omittenda judicium laturi omnium circumstantiarum singularium, vel particularium habetur ratio, conscientiam vocamus *practice-practicam completam*. Si vero non nisi quarumdam, *incompletam*.

Si

Si judicium de actione committenda, vel omittenda fertur, dum appetitu sensitivo, vel aversatione sensitiva in contrariam partem trahimur, vel affectuum impetu in eamdem abripimur, *conscientiam* vocamus *servam*. Si vero extra hunc statum constituti judicamus, *conscientiam liberam* nuncupamus.

Qui contra conscientiam agere suevit practice practicam, etiam completam, quia serva, *homo nullius conscientiæ* dicitur. At, qui contra conscientiam agere nunquam vult, *conscientiosus* vocatur.

Peccatum dicitur actio legi naturę ac divinę contraria.

Quando conscientiam consequentem cum antecedente eamdem experimur, nos *excusare* dicitur, ut adeo *excusatio conscientiæ* sit identitas conscientię antecedentis, & consequentis. Si conscientia consequens fuerit contraria antecedenti, ita ut, quam bonam, & ideo committendam judicaveramus, actionem nunc malam, & omittendam fuisse judicemus, & quam malam ac ideo omittendam judicaveramus, eam nunc bonam, & committendam fuisse judicemus, *conscientia nos accusare* dicitur. Itaque *accusatio conscientiæ* est diversitas conscientiæ antecedentis, & consequentis.

Morsus conscientiæ dicuntur tædia cum affectibus molestis, quę conscientiam consequentem accusantem comitantur. Quando homo morsus conscientiæ in se experitur, *conscientia* eum *mordere* dicitur. *Morsibus conscientiæ mederi* dicimur, si animum a tædiis atque affectibus molestis, quæ conscientiam consequentem accusantem comitantur, liberamus; *morsus* vero *conscientiæ lenire*, si tædia, quæ conscientiam consequentem accusantem comitantur, minuimus, & affectus molestos eadem de causa subortos compescimus.

SCHOL. Vid. Jo. FRID. STIEBRITZ diss. de insufficientia philosophię moralis ad veram felicitatem ex doctrina ejus de conscientia demonstrata, Halæ 1751.

GEORG. GOTTF. KEUFFEL diss. de morsibus conscientiæ ex ratione haud sanandis, Helmst. 1751. JAC. CHRIST. SCHOOFF diss. de insufficientia philosophiæ moralis ad tollendos conscientiæ morsus, Jen. 1759.

Si neque, antequam quidquam agimus, sollicite inquiramus, utrum actio sit bona, nec ne, utrum committenda, an omittenda, neque actione perpetrata de actionibus præteritis disquirimus, utrum recte commisse, an omissæ fuerint, *conscientia dormitare* dicitur. Hinc *somnus conscientiæ* appellatur absentia conscientiæ antecedentis, & consequentis. Si quis quacumque de causa, cum dormitaverit conscientia, in actiones præteritas inquirit, utrum bonæ sint, an malæ, & num recte, vel commissæ, vel omissæ, *conscientia evigilare* dicitur. Si conscientia consequens fuerit dubia, vel si, quod contra conscientiam egimus, nos pœniteat, & ab actionis perpetratæ examine, vel cogitatione molesta animum avocemus, *conscientiam sopire* dicimur.

SCHOL. Vid. CAR. GOTTHELFF MULLERI doctrina de somno conscientiæ accuratius, & completius exposita. GEORG. FRID. MEJERI diss. de somno morali, Hal. 1750.

Si judicamus, male facta esse causam malorum, quibus affligimur, *conscientia nos damnare* dicitur. Si vero certi sumus, nos actionibus nostris non promeruisse mala, quæ nobis obtingunt, *conscientia nos absolvere* dicitur.

Conscientia dicitur *tranquilla* si liberi fuerimus ab iis tædiis, quæ conscientiam consequentem comitari possunt, *inquieta* autem, ubi eam tædia, quæ parit conscientia consequens scrupulosa, comitantur.

Custodia conscientiæ est cura de rectitudine, certitudine ac libertate ejusdem.

Qui peccatorum contra conscientiam commissorum, præsertim gravioris cujusdam sibi conscius est, *malam conscientiam habere* dicitur, ex adverso au-

autem *bonam*, qui peccatorum contra conſcientiam commiſſorum, præſertim gravioris ſibi conſcius non eſt.

Cauſa libera dicitur, quæ libere agit, ſive actio fuerit poſitiva, ſive privativa.

Imputatio actionis, ſive poſitivæ, ſive privativæ dicitur, quo agens declaratur cauſa libera ejus, quod ex actione ipſius conſequitur, boni malique, vel ſibi, vel aliis. *Phyſica* eſt, ſi ſepoſita omni moralitate actionis judicatur, num agens ſit cauſa libera ejus, quod ex actione ipſius ſequitur, ac ſibi aliiſque bonum, vel malum eſt. *Moralis*, qua actiones agenti imputantur, quatenus ex iis ſequitur quidpiam, quod agenti, vel aliis bonum aut malum ob earum cum lege convenientiam, vel diſconvenientiam. *Facti alieni imputatio* eſt judicium, quo quis declaratur cauſa libera ejus, quod ex actione alterius ſive poſitiva, ſive privativa conſequitur, & agenti, vel alteri bonum aut malum eſt. *Imputativitas* actionis eſt dependentia a libertate animæ in volendo, & nolendo.

Coacte agere dicitur, qui non niſi ab alio vi externa impulſus agit, in actione ſeſe habens per modum inſtrumenti. *Coacte patitur*, qui alterius in ſe actioni reſiſtendi vires non habet, in quo caſu non reſiſtentia eſt *actio privativa coacta*. *Voluntaria* autem, quæ invita non eſt.

SCHOL. CHRIST. VVEBERI diſſ. an, & quatenus voluntas hominis poſſit cogi? Hal. 1751. Coactio ut plurimum libertati opponitur. Prouti autem terminus libertatis vagus eſt, atque in latiore, & ſtrictiore ſignificatu ſumi ſolet: ita, & coactionis terminus. Nimirum generatim libere agere quis dicitur, qui ita agit, ut ad agendum non determinetur. Unde ex oppoſito coacte aliquis agit, quatenus ita agit, ut ad agendum determinetur. Itaque coactio in genere eſt actus, quo quis ad agendum determinatur. Prouti ergo quis ad agendum determinatur; ita etiam cogitur. Jam vel de-

terminari potest per principium externum, vel internum. Si prius, coactio externa est, quę in specie coactio vocatur. Sin posterius, interna. Itaque interne coactus a principio interno, hoc est, tali, quod in illo ipso est, determinatur ad agendum. Principium hoc, vel est efficiens, vel non. Si prius, est coactio physica interna, quam nonnulli etiam necessitatem internam dicunt. Sin posterius, moralis. Itaque coactio physica interna solum a principio efficiente seu physico interno dependet. Per illam agens sine ullo arbitrio præcise ad hoc nec aliud agendum ita determinatur, ut resistere nequeat. Unde etiam necessitas interna agendi dicitur, quod secus est in coactione morali. Illa non dependet a principio physico, seu efficiente interno, consequenter adhuc arbitrium quoddam hic locum invenit, & dependet actio simul a cognitione agentis. Nimirum illud agit, quod sibi tamquam bonum repræsentavit, illud non agit, quod sibi tamquam malum repræsentavit. Unde simul constat, quod actiones, ad quas quis moraliter interne cogitur, cum appetitu producantur. Quia vero posita repræsentatione boni necessario appetitus ponitur: hinc etiam per hanc cognitionem boni ad agendum determinatur, & cogitur agens. Rem exemplis illustrabimus. Circulus sanguinis, concoctio, convulsiones in corpore nostro mere dependent a caussis physicis. Sunt igitur motus, ad quos producendos corpus nostrum determinatur per principium efficiens. Quatenus ergo a principio interno dependent, eatenus ad illos producendos physice interne cogimur. Simili modo motus in automatis se excipiunt. Si vero, qui studiorum caussa in academia degit, sibi bonum judicat, ut collegia frequentet, at ob hanc cognitionem proprio motu ea frequentat, quæ ad scopum suum faciunt, tunc interne quoque cogitur ad agendum, sed moraliter, quia principium, a quo ad agendum determinatur, non est efficiens seu phy-
sicum,

ſicum, ſed cognitio boni. Similiter ſi quis petenti eleemoſynas dat, propterea quod bonum judicat, ut egentem juvet, cogitur ad eleemoſynas petenti dandam, & quidem moraliter. Dicis forſitan, hoc uſui loquendi repugnare, ut ille cogi ad agendum dicatur, qui tamen proprio motu agit. Sed qui ita judicant, coactionem externam in mente habent, quę ſæpe ſimpliciter coactio dicitur. Sicque nos non habent diſſentientes, ſi eleemoſynas dantem, & collegia frequentatem cogi negant. Scilicet externe non coguntur ad agendum, quia proprio motu agunt; interne autem coguntur utique ad agendum. Cognitio enim boni prævia neceſſitatem agendi moralem illis imponit. Hoc autem uſui loquendi non repugnat, ut illum cogi dicamus, qui ex neceſſitate quadam agat. Quoniam vero coactio externa actus eſt, quo quis ad agendum a principio determinatur externo; hoc principium iterum vel efficiens eſt; vel non. Si prius, coactio phyſica externa. Sin poſterius, coactio moralis externa late ſumta eſt. Hæc; vel fit per excitatam cognitionem malorum extertemorum inferendorum, ſi alter actionem ſuſciperet; vel non. Priori caſu eſt coactio moralis externa ſtricte ſumta. Coactio phyſica externa, & moralis externa ſtricte ſumta a permultis ſimpliciter coactio dicuntur. Namque obſervamus, illos, qui de coactione ſimpliciter dicuntur, ſemper coactionem phyſicam externam, vel moralem externam ſtricte ſumtam ſubintelligere. Itaque coactio phyſica externa a principio efficiente externo dependet, ſeu a vi externa phyſica, qua quis præciſe ad hoc, & non aliud agendum determinatur. Unde hoc modo coactus agit ex neceſſitate phyſica externa. Ita, ex. grat. mola pneumatica a vento; tympanum ab aqua agitatur, libra ſublato æquilibrio inclinatur, projectum corpus grave curvam motu ſuo deſcribit, in contrarias plagas impulſum ſecundum lineam diagonalem movetur. Omnes hi motus dependent a principio efficiente externo, adeo-

adeoque a coactione physica externa. Hoc modo homo fustigatus cogitur, ut dolorem sentiat, cui opium dedisti, cogitur, ut dormitet, venenatus cogitur, ut moriatur, nisi tempestive illi subveniatur. Exinde simul patet, actionem physice externe coactam non dependere a cognitione boni, vel mali. Sive enim agens bonam, sive malam judicet, præcise tamen determinatur ad illam producendam, unde etiam invita per violentiam dicitur. Sed coactio moralis externa a principio efficiente externo, seu a cognitione ab alio excitata dependet. Hinc si late sumitur, poterit quis hoc significatu tam per bona, quam per mala repræsentata cogi, & quidem tam per bona, vel per mala interna, h. e. quæ ex natura actionis fluunt, quam externa, quæ per voluntatem cogentis cum actione connectuntur. Si vero stricte sumitur, tum dependet quidem ab cognitione ab alio excitata, sed a cognitione (1) malorum; (2) externorum, quæ, nisi egerit, illi inferri debent. Hoc modo legislator subditos cogit, ut legibus promulgatis obediant, dum leges sanctione pœnali munit. Dum enim leges sanctione pœnali munit, excitat in subditis cognitionem malorum externorum, pœnarum scilicet, illis inferendarum, nisi legibus obedientiam præstent.

Si de actione in se spectata disquiritur; utrum sit committenda, & omittenda, *consultatio* dicitur *theoretica*. Si vero disquiritur, quomodo sit agendum, seu quænam fieri debeant, ut actionem, quam committere, vel omittere decrevisti, committere, vel omittere possis, *practica*. Quodsi in casu dato spectatis circumstantiis singularibus seu particularibus disquiris, quomodo sit agendum, *practice-practica*. Ubi vero disquiris de modo agendi nondum spectatis circumstantiis particularibus, *theoretice-practica*.

Actio deliberata est, quæ consulto seu non, nisi prævia consultatione editur. *Theoretice talis* est,

quæ

quæ prævia consulatione theoretica editur. *Practice talis* est, quæ prævia practica consultatione fit. *Theoretice-practica* est, quæ fit prævia consultatione theoretice-practica. *Practice-practica* est, quę fit prævia consultatione practice practica. *Prorsus deliberata* est, quę fit pręvia deliberatione theoretica, & non minus practice, quam theoretice-practica. *Indeliberata*, aut, si mavis, *non deliberata*, si quis nulla prævia consultatione agit.

Agens *intendere* dicitur id, propter quod agit. Unde *intentio agentis* est volitio ejus, propter quod agit, seu volitio, qua vult, ut fiat id, vel non fiat, propter quod agit. *Primario* appellatur, qua quid ita intenditur ab agente, ut, si nihil aliud præterea intendat, propter hanc solam ageret. *Secundaria*, si quid juxta alterum intenditur, ita ut propter hanc solam non ageret, nisi preterea aliud intenderet agens, *Directa*, qua id intenditur, propter quod agens agit. *Indirecta*, qua quidem agens per se non vult, quod ex actione ipsius sequitur, quod tamen perinde ac id, quod vult, ex eadem sequi potest. *Immediata*, qua quid propter se intenditur, *mediata* vero, qua quid intenditur propter alterum, quatenus scilicet per hoc consequimur alterum, quod intenditur.

Id, quod directe intendimus, *directe*, &, quod nonnisi indirecte intendimus, *indirecte velle* dicimur.

Executio decreti, & propositi est editio illarum actionum, quas committere decrevimus, & nobis proposuimus.

Consentire dicitur, qui vult, ut hoc fiat, vel non fiat, quod fieri, vel non fieri vult alter. Unde *consensus* est actus voluntatis, quo idem fieri, vel non fieri volumus, quod fieri, vel non fieri vult alter. *Consensus alterius* ad factum aliquod *requirere* dicitur, si rogat eumdem, ut consen-

sentiat in factum. Contra *dissentire* dicitur, qui vult, ut non fiat, quod fieri vult alter, vel ut fiat, quod non fieri vult alter. Est adeo *dissensus* actus voluntatis, quo idem fieri nolumus, quod fieri vult alter, vel fieri volumus, quod fieri non vult alter. *Consensus* dicitur *expressus*, si disertis verbis vel alio signo significamus, nos velle idem, quod vult alter, *tacitus* autem, qui aliunde veluti ex factis & non factis colligitur. Simili modo dissensus dicitur *expressus*, si disertis verbis vel alio signo significamus, nos nolle idem, quod vult alter, *tacitus* autem, qui aliunde veluti ex factis, & non factis colligitur.

Defectus rectitudinis actionis dicitur *vincibilis*, si eum evitare potuisses, modo voluisses, *invincibilis* vero, ubi penes te non stetit, ut eum evitares.

Defectus rectitudinis actionis vincibilis dicitur in genere *culpa*. Hinc *actio culpabilis* dicitur, sive positiva, sive privativa fuerit, quæ defectu quodam rectitudinis vincibili laborat. Vocatur etiam *factum culpabile*, & si privativa fuerit actio, *non factum culpabile*. *Culpa in specie* dicitur defectus rectitudinis actionis quoad intellectum vincibilis. *Actio culposa* dicitur, quam agens culpa sua committit, sive ea positiva fuerit, sive privativa. Unde & *factum* & *non factum culposum* vocatur. *Culpam committere* dicitur, qui culpa sua quid facit vel non facit. *Culpa in abstracto* est, quæ æstimatur ex non usu facultatum hominis in genere consideratarum; *in concreto* vero, quæ æstimatur ex non usu facultatum hujus præcise agentis in individuo. *Culpam mediam* appellare lubet defectum rectitudinis ob exceptionem in casu collisionis officiorum minus recte factam. Alii *culpam propositi* vocant.

Defectus actionis a rectitudine quoad voluntatem dicitur *dolus*. *Actio dolosa* appellatur, quæ fit per dolum; sive ea positiva fuerit, sive privativa. Unde & *factum* atque *non factum* appellatur. *Dolus* autem

autem *committi* dicitur ab eo, qui dolose agit vel non agit. Simulatio voluntatis finis cujusdam non illiciti gratia facta dicitur a veteribus *dolus bonus*, & in oppositione ad dolum bonum is, de quo hactenus diximus, & qui simpliciter dolus appellari solet, *malus* nuncupatur. *Dolus ex proposito* dicitur quo malum, quod ex actione sua resultat, intendit agens sive directe sive indirecte. *Ex re* autem *dolus* vocatur, quo malum ex actione sua resultans quidem non intendit agens, ubi vero idem ex postfacto cognoscit, eum, in quem redundavit, id ferre velle. *Clandestinus* seu *non manifestus* dicitur, qui committitur a simulante seu actione simulata, *manifestus*, vero qui a non simulante committitur.

Si actio culposa fuerit actio positiva, culpa vocatur *culpa commissionis*, *omissionis*, si privativa. Quoniam etiam culpa in genere sic dicta inhæret actioni vel privativæ, vel positivæ, culpa quoque in genere sic dicta in priori casu *culpa omissionis*, in posteriori *commissionis* appellatur. Similiter *dolus commissionis* est, si actio dolosa fuerit positiva; si privativa, *omissionis*.

Per *non usum facultatum nostrarum* intelligimus omissionem usus earundem nobis concessi. Opponitur *impotentia utendi*, quæ est independentia usus a voluntate nostra.

Defectum attentionis circa actiones nostras seu absentiam animi in agendo dicimus *incogitantiam*.

Negligentia est omissio actionum certo fine edendarum, seu eorum, quæ certo fine fieri debent, non usui facultatum cognoscendi debita. Ex adverso *diligentia* est commissio omnium illarum actionum, quę certo fine committendę sunt, seu eorum omnium, quæ certo fine fieri debent.

Si quis minime perpendit, quidnam sub notis circumstantiis ex actione sua boni vel mali consequi possit, is *inconsideratus* dicitur. Unde *inconsiderantia* est omissio actuum intellectus, quorum ope agenti inno-

innotescere poterat, quidnam actione sua sub iis, quas novit, circumstantiis boni vel mali consequi possit.

Improvidus dicitur agens, qui ad malum in dato eventu possibile, quod prævidere poterat, animum non attendit. Unde *improvidentia* est defectus attentionis ad malum in dato casu eventu possibile, quod agens prævidere poterat.

Præcipitantia in agendo est determinatio sui ad agendum, seposito omni facultatum cognoscendi usu ad rectitudinem actionis requisito.

Imprudenter agere dicitur, qui facit, quod vi circumstantiarum quarumdam præsentium potius non facere debebat, vel contra non facit, quod vi earumdem potius facere debebat. Unde *imprudentia* est defectus judicii, quid vi circumstantiarum præsentium fieri consultius sit.

Incuriosus dicitur agens, si de rectitudine suarum actionum prorsus non sollicitus est. Unde *incuria* est absentia omnis sollicitudinis de rectitudine actionis.

Agens *mereri* dicitur id, ad quod alii ob actiones bonas vel patratas, vel quas patrare potest, ipsi obligantur, & ad quod patiendum ab aliis ob actiones suas malas ipse obligatur. Unde *meritum* quoad actiones bonas est jus ad id, ad quod alii ob eas ipsi obligantur; quoad malas vero obligatio patiendi id, ad quod faciendum aliis ob easdem jus est. In casu posteriore etiam *demeritum* vocatur.

Vita moralis dicitur complexus actionum liberarum, quæ ab homine eduntur; *bona*, si actiones hominis sunt bonæ, *mala*, si eædem malæ sunt. Similiter ab honestate actionum, *honesta*, sicuti ab inhonestate, *inhonesta* appellatur. *Ordinata* dicitur, si in serie actionum sibi mutuo succedentium datur ordo, seu, si actiones omnes certo ordine fiunt. In casu opposito *inordinata* appellatur.

Perfectio vitæ moralis consistit in consensu actionum liberarum omnium inter se & cum naturalibus

Per systema legum naturalium intelligo eam ipsarum compactionem, qua omnes inter se connectuntur. In genere nimirum *systema doctrinarum* est compactio veritatum, seu propositionum universalium inter se connexarum. Immo generalissime *systema* appellari suevit compactio rerum inter se connexarum.

Determinationes intrinsecæ actionis sunt actus tam interni quam externi simplices, qui compositam ingrediuntur, *extrinsecæ* autem, quæcumque ex accidente superveniunt, & in actionem quomodocumque influunt. *Influit* autem *in actionem*, quod ad determinandam actualitatem vel moralitatem actionis quidpiam confert.

Circumstantia dicitur quælibet determinatio extrinseca actionis. *Circumstantiæ personarum* dicuntur, quæ vel a qualitate agentis ac statu, vel ab aliis personis desumuntur; *rerum*, quæ petuntur a rebus ad actionem quomodocumque spectantibus; *locorum*, quæ a loco petuntur; *temporum*, quas tempus suppeditat. *Favorabiles* sunt, quæ faciunt, ut agens actu agere vel actionem facilius, & commodius absolvere possit. *Minus favorabiles*, quę faciunt, ut agens actionem difficulter, & parum commode absolvere possit. *Adversæ*, quæ obstant, quo minus agere possit; *propriæ*, quæ nunquam abesse possunt, quoties agendum; at *alienæ*, quæ ex accidente superveniunt, quando occasio agendi offertur.

Actus internus animæ sufficienter significari dicitur, si ex actu significantis externo sive positivo, sive primitivo certo colligi possit, qualis sit actus internus.

Instigare alterum dicitur, qui dat operam, ut alterum permoveat ad aliquid committendum adversus alterum, quod sua sponte non fuerat facturus, aut quod, num facturus sit, adhuc dubitatur.

Ad-

Adhortari alterum dicimur, si verbis ipsi significamus seriam & constantem nobis esse voluntatem, ut hoc faciat, ad quod faciendum obligatur. *Dehortari* autem *alterum*, noluntatem nobis esse seriam & constantem verbis ei significamus, ne hoc faciat, ad quod non faciendum obligatur.

Orare alterum dicitur, *ut quid faciat vel non faciat*, si ita significet alteri seriam ac constantem voluntatem suam, ut quid faciat, vel noluntatem, ne faciat, ut intelligat, interesse volentis & nolentis, ut hoc fiat vel non faciat. *Exhortari* dicitur *alterum*, qui adhortationi jungit motiva, quibus agens ad lubenter agendum determinatur. *Comminari alteri* dicitur, se vel alium ipsi inflicturum mali quidpiam ob actionem vel perpetratam, vel perpetrandam. Unde *sub comminatione alterum adhortatur vel dehortatur*, qui adhortationi vel dehortationi jungit comminationem.

Blandimenta dicuntur actus quilibet externi, ad id unice compositi, ut alteri placeant. Istiusmodi actus qui edit, alteri *blanditur*. *Allicere alterum* dicitur, qui blandimentis eum promovere vult ad aliquid faciendum.

Sollicitare ad agendum dicitur, qui omnem dat operam, ut alterum permoveat ad faciendum id, a quo animum habet alienùm, seu quod facere non vult. Est vero sollicitatio vel *nuda*, ubi tantum verbo imperativo sæpius repetito ad faciendum alterum permovere conamur, vel *vestita*, si motiva tam generalia quam specialia hujus ipsius actus a circumstantiis nempe particularibus desumta adhibentur.

Factum dicitur actio, quatenus ea quidpiam ab agente diversum ad actum perducitur, quod ante non erat. *Instrumentum* dicitur res, qua agens utitur ad agendum vel faciendum, seu qua mediante agit vel facit, ita ut sine ea agere vel facere nil possit. Quod si res est naturalis, *naturale*; si vero artificialis, *artificiale* dicitur.

Oc-

Occasio est oblatio circumstantiarum, ob quas fieri potest, ut agens tunc actu agat, vel ut actio facilius aut commodius tunc absolvatur, seu oblatio circumstantiarum favorabilium agendi.

Animum agendi habere dicitur, qui actionem aliquam committere decrevit, adeoque voluntatem suam ad agendum jam determinavit, ut adeo *animus agendi* sit voluntas ad agendum determinata. *Animus ad agendum dispositus* dicitur, si in promtu sunt motiva, per quæ oblata agendi, vel de actione cogitandi occasione voluntas ad agendum determinatur. *In promtu* autem *sunt motiva* quæ animum statim subeunt, ubi de actione incidit cogitatio.

Casus in moralibus dicitur concursus omnium circumstantiarum ad actionem quamdam, quæ actu vel committitur, vel omittitur.

Actio actioni contraria dicitur, quæ eam irritam reddit vel totam, vel ex parte. *Irrita* autem redditur actio, si effectus eadem producendi vel prorsus non producitur, vel non producitur integer.

Remedium dicitur actio, qua impedimentum tollitur, ne actioni agentis amplius obstet.

Imitari alterum dicitur, qui actionem suam ad alterius actionem conformat. Est igitur *imitatio* actionis nostræ ad alienam, vel etiam præsentis ad præteritam propriam conformatio. Si in rationes actionum alienarum inquirimus, nec alios imitamur, nisi quatenus eorum actiones rationi conformes deprehendimus, *rationalis* est, *empirica* vero, si rationes actionum negliguntur, & hac sola de causa agis, quia agunt alii, hocque agis modo, quia hoc modo agunt alii.

NOT. Vid. ERN. FLORENTIS RIVINI diss. de præpostera aliorum imitatione, Lipf. 1728.

Per *ardorem animi* intelligimus actum voluntatis cupiditate, & noluntatis fuga vehemente stipatum. *Ardorem accendere* idem est ac in volente excitare cupiditatem, & in nolente fugam.

Cognitio viva dicitur, quæ fit motivum voluntatis, at *mortua*, quæ non fit motivum voluntatis, & noluntatis.

SCHOL. Vid. CAR. AUG. STRUENSEE medit. philosoph. de mediis cognitionem mortuam reddendi vivam, Hal. 1756. THOM. CHRISTOPH. LUGER diss. de cognitione viva, Jen. 1740. GEORG. FRID. MEJERI diss. de vita cognitionis ab ejus claritate, veritate, & certitudine non necessario pendente, Hal. 1747.

Exempla dicuntur singularia sub notionibus universalibus comprehensa, quatenus iisdem universalia insunt, seu quatenus ea, quæ notioni universali insunt, intuenda exhibent. Dicuntur *mala*, seu *prava*, quibus alios docentur vitia; & ad ea perpetranda incitantur, *bona* autem, quibus alii virtutes Intellectuales, & morales docentur, & ad ea incitantur.

Veritas dicitur *confirmari*, si sufficienter jam probata alio adhuc modo adstruitur, & cognoscens *in veritate confirmari* dicitur, si consensus, quem præbet, alio adhuc modo elicitur. *Definitiones*, & *propositiones illustrari* dicuntur, si notionibus, quæ iisdem respondent, major claritas affunditur. *Universalia in singularibus intueri* dicimur, si ea, quæ notionibus distincte enunciata insunt; in ideis, quæ animo præsentes observantur, attentione nostra distinguimus.

Modus agendi est ordo, quo actiones simplices quoad omnia rite determinatæ se invicem consequuntur in actione composita.

Æmulus dicitur, qui ardore flagrat, ut par sit alteri, immo etiam eodem superior. Unde *alterum æmulari* dicitur, qui omni animi contentione id agit, ut eidem par, vel etiam superior eodem sit. Inde *æmulatio* studium est, quod in eo collocamus, ut aliis pares, vel etiam iisdem superiores evadamus.

Fabula, *Fabella*, *Apologus* dicitur expositio facti cujusdam ficti veritatis præsertim moralis docendæ gra-

gratia. Si facta fingimus, aut subjectis tales tribuimus actiones, & passiones, qualium sunt capaces, seu in genere talia prædicata, quæ ipsis convenire possunt, aut talia, quæ iisdem convenite nequeunt. In casu priore fabulæ sunt *rationales*, in posteriore *morales*; *mixtæ* autem, quæ ex rationalibus, & moralibus componuntur. *Fabulæ*, seu *apologi interpretatio* est explicatio significatus ejusdem, seu illius veritatis, cujus docendæ gratia inventa, indicatio. Quodsi ea fabulæ præmittitur, *præfabulatio*; si eidem postponitur, *adfabulatio* vocatur.

Motiva legitima appellamus, quæ legi naturæ conveniunt, seu ad quæ adhibenda ipsa naturę lege obligamur; *ordinaria*, per quæ agens se determinare solet ad agendum, & non agendum, nisi rationes singulares adsint cur hic, & nunc aliter agat, vel non agat; *extraordinaria*, per quæ agens se aliter determinat ad agendum, & non agendum, quam alias sese determinare solet; *generalia*, per quæ voluntas, & noluntas determinatur, quatenus actiones in genere spectantur, seu tamquam sub certo genere contentæ considerantur; *specialia*, per quæ voluntas, & noluntas determinatur, quatenus actiones in specie spectantur, seu tamquam sub certa quadam specie contentæ considerantur; *singularia*, quæ desumuntur a circumstantiis singularibus in dato casu obviis; *generalissima*, quæ in nulla alia absolvuntur, seu ab aliis nullo modo pendent.

Voluntas seria seu *firmum propositum* dicimus eam, quæ constans atque perpetua est.

Nolitio committendi actionem est actus noluntatis per motivum nolitionis elicitus. *Volitio* vero *non committendi seu omittendi* est actus voluntatis cohærens actui voluntatis actionem contrariam committendi, nullo peculiari motivo elicitus. *Volitio committendi actionem* est actus voluntatis per motivum volitionis elicitus. Sed *volitio non omittendi*

actionem est actus voluntatis actui voluntatis committendi actionem contrariam cohærens, nullo peculiari motivo elicitus, & actui voluntatis privativo æquipollens.

Ceremoniæ sunt signa eorum, quorum in executione propositi alicujus meminisse debemus. *Nudæ* sunt, quæ tantummodo signa sunt eorum, quorum in executione propositi meminisse debemus, *vestitæ* autem, quæ in ipsam preterea actionum determinationem influunt. *Aptæ*, si ex ipso negotio, in quo adhibentur, reddi potest ratio, cur hac potius re, vel hoc actu ad aliquid significandum utamur, quam alia re, vel actu alio; *ineptæ* vero, si ex ipso negotio, in quo adhibentur, nulla apparet ratio, cur hæc res, vel hic actus ad aliquid significandum adhibetur. *Convenientes*, si in notione rei, vel actus, qui ad significandum aliud quid in dato negotio adhibetur, continetur ratio, cur id significent. Quodsi vero in re ista vel actu isto continetur quidpiam, quod contrariatur significatui, seu ratio significatus contrarii *Inconvenientes*. *De præsenti*, quæ nobis in memoriam revocant quidpiam, cujus nunc meminisse debemus, vel etiam in determinationem actus præsentis quomodocumque influunt. *De futuro*, quæ nobis memoriæ infigunt quidpiam, cujus posthac recordari debemus. *Injustæ*, si earum usu tollitur, vel diminuitur jus perfectum, vel usus earum quomodocumque impeditur. *Iniquæ*, si earum usu tollitur, vel diminuitur jus imperfectum alterius, vel usus earum quomodocumque impeditur.

SCHOL. Vid. CAR. GOTTELFF MULLERI præcipua ad ceremoniarum scientiam spectantia, Jen. 1739. JOAN. PETR. REUSCHII diss. de obligatione circa observandas ceremonias, ibid. eod. FRANZ CHRISTOPH. JETZE diss. de cæremoniis, Ral. 1752. Ceremoniam actionem actioni alteri honoris, vel momenti caussa adjectam pronunciat S. R. CHLADENIUS in nova phi-

philosoph. definit. p. 166. Honor personis habetur; momentum rebus, & actionibus tribuitur. Utraque res quodam modo inter se conveniunt, & sub generali quadam notione comprehenduntur, quæ quia nondum per abstractionem est formata, tantisper speciebus conjunctim est utendum. Huic autem inserviunt ceremoniæ; ut honor personis habeatur, & rei momentum; quod non semper sensibus patet, ceremoniarum ope in sensus incurrat. Sensus autem momenta rerum æstimant ex vehementia, qua sensus feriuntur. Hinc tormenta in adventu principum exploduntur, quibus auditis nemo non aures erigit. Hinc in templis suffimenta accenduntur, ut plebs potissimum grato odori non adsueta inusitato fragore percellatur, quibus tamen subsidiis christiana religio non indiget, utpote quæ ex potestate verbi divini satis virium habet ad percellendos animos. Quod ceremoniæ adhibentur ad augendum attentionem ad rem præsentem, id quod definitionis loco a multis sumitur, casus saltem specialis seu singularis est, ubi nempe res principalis, quæ ceremoniis augetur, non satis sensum movet. Sed falluntur plane, qui putant ceremoniis animos hominum ad rem animo acrius tractandam adigi, & compelli posse, cum facilius eveniat, ut mens cerimoniis occupata multo magis à cogitatione rei absentis, vel animo solo tractandæ avocetur. Sic auctis, & multiplicatis ceremoniis in ecclesia vera pietas vehementer est labefactata. Certior est ceremoniarum usus in demonstrando rerum momento, servandoque rerum, & personarum honore.

Præterea de cæremoniis sequentes notentur definitiones.

Caremoniæ, quæ existentiam cærimoniatorum in memoriam vocare debent, denominantur *rememorativæ*, *memoriales*, *commonefacientes*; si de iis nullam antea habuerimus cogitationem; nunc

 autem

autem cogitatio produci debeat, *notificantes*; quæ præteritam cærimoniati existentiam in animum vocare debent, *de præterito* seu *probatoria*; quæ futuram cærimoniati existentiam in animum vocare debent, *prognostica*; si ad existentiam præsentem cærimoniati in animum vocandum destinatæ sunt, *demonstrativa honesta*, quæ approbationem aliorum ob earundem elegantiam conciliare, per consequens etiam benevolentiam aliorum contrahere queunt; *minus honesta*, quæ ob fœditatem aliorum displicentiam contrahere, nec minus igitur animos nobis malevolos reddere possunt; *rationales*, quæ non repugnant veritati; *irrationales*, quæ ipsi repugnant, seu quæ non sunt rationales; *fictitia*, quarum cærimoniatum est ens fictitium; *perpetua*, quæ ideo sunt, ut cærimoniatum perpetuo vocent in animum; *temporaria*, quæ ad certum, seu definitum tempus cærimoniatum vocent in animum, seu quæ non destinatæ sunt ad vocandum cerimoniatum in animum perpetuo; *sacra humana*, quæ ab hominibus sunt institutæ, sacrorum observandorum gratia, eoque in casu præsertim, *ecclesiastica*; ad res politicas melius observandas; *humana politica*. *Usus earum* est applicatio fini earumdem conformis; *abusus*, applicatio earumdem fini difformis. *In usum abire ea* dicuntur, si applicatio antea fini disconveniens ipsi fiat conveniens, quid *in abusum abire* sit, contrario modo est concipiendum. *Eas instituere* est enti externo significatum imponere, eum in finem, ut existentia alterius ad officium exequendum in animum vocari possit. *Abrogare* eas est indicare significatum cæremoniarum amplius non valere, per consequens, nexum inter cærimoniam, & cærimoniatum eatenus desinere. *Emendare* est, usui reddere conformes, *depravare*, eas usui reddere difformes.

Absurdum dicitur, quod manifesto contradictorium

rium

rium seu non modo physice impossibile, verum etiam a ratione alienum est, ut nemo sanus, vel prudens id velle dici possit. Unde *absurditas* consistit in contradictione manifesta.

Sensus, imaginatio atque affectus dominari dicuntur, quando in determinandis actionibus seposita ratione, eorumdem tantummodo habetur ratio. Unde *dominium sensuum, imaginationis atque effectuum* constitit in eorumdem abusu in determinandis actionibus liberis.

Servitus moralis est status hominis, quo sensuum, imaginationis, & affectuum dominio subjectus est, seu in quo sensus, imaginatio atque affectus dominantur. Unde *moraliter* dicitur *servus sui ipsius*, qui in determinandis actionibus suis, seposita ratione, tantummodo rationem habet sensuum, imaginationis atque affectuum. *Perfecta* est, quando actiones omnes omni ex parte sensuum, imaginationis, & memoriæ, appetitus sensitivi atque aversationis sensitivæ ope determinantur, nullo unquam facto rationis usu. *Imperfecta* est, si non in omnibus actionibus nec iisdem omni ex parte determinandis sensuum tantummodo, imaginationis, & affectuum habetur ratio, sed rationis quoque seu facultatibus animæ superioribus suæ relinquuntur partes. *Dominis sui ipsius* est, qui sensibus, imaginationis atque affectibus resistere valet, ne prævaleant adversus rationem, eorumque usum rationi convenienter determinat.

Licentia vivendi est determinatio actionum ad libitum, seu, prouti libet, nulla prorsus habita ratione legis naturalis, & divinæ.

In pugna partis facultatis superioris, & inferioris pars illa *vincere* dicitur alteram, quæ adversus alteram prævalet in actu appetitionis, & aversionis determinando, & *seipsum vincere* dicitur, si pars superior prævalet adversus inferiorem, seu appetitus rationalis adversus aversationem sensiti-

 vam,

vam, & aversatio rationalis adversus appetitum sensitivum: *Vinci* autem dicimur si, pars inferior prævalet adversus superiorem; seu appetitus sensitivus adversus aversationem rationalem, & aversatio sensitiva adversus appetitum rationalem.

Dominium in sensus, imaginationem atque affectus dicitur *universale*, quod ad quodlibet actionis genus extenditur; *particulare*, quod ultra unum vel alterum actionum genus non extenditur; *plenum* si quis omni ex parte sensui, imaginationi atque affectibus dominatur; *minus plenum*, si quis quadam ex parte iisdem dominatur, non tamen ex omni; *perfectum*, si est planum, & universale; *imperfectum*, si est particulare, & minus plenum.

Habitus vel ars regendi se ipsum; vel suas liberas actiones secundum Dei voluntatem est *imperium sui ipsius*, idquod *perfectum* non erit, nisi qua materiam omnes regat liberas actiones, & qua formam omnem cuique conciliet gradum convenientiæ cum lege divina, qui vires humanas non excedit, at *imperfectum*, quando vel ratione materiæ quibusdam tantum actionum liberarum generibus, vel ratione formæ tantum nonnullo convenientiæ actionis cum lege divina gradui studet.

Sensus, *&* *imaginatio cum intellectu consentire* dicuntur *in repræsentando bono*, *&* *malo*, si, quod intellectus tamquam bonum, vel malum nobis repræsentat, idem quoque ut tale exhibent sensus atque imaginatio, ut adeo *consensus sensuum, & imaginationis cum intellectu* consistat in identitate distinctæ ac confusæ repræsentationis boni atque mali. Ex adverso *sensus*, *&* *imaginatio ab intellectu dissentire* dicuntur *in bono*, *&* *malo repræsentando*, si, quod intellectus nobis repræsentat tamquam bonum, idem sensus atque imaginatio exhibent tamquam malum, & e contrario quod intellectus nobis repræsentat tamquam ma-

lum,

lum, idem sensus atque imaginatio exhibent tamquam bonum, ut adeo *dissensus sensuum, & imaginationis atque intellectus* consistat in diversitate distinctæ ac confusæ repræsentationis boni atque mali.

Si quis omnem affert; &, quamdiu opus est, conservat attentionem ad id, quod ipsi præsens est, consequenter, & ad actionem præsentem; *animo præsens esse* dicitur. Unde *præsentia animi* est attentio sufficiens ad id, quod nobis jam præsens est; consequenter etiam ad actionem præsentem. Si quis sufficientem ad id, quod præsens est; consequenter etiam ad actiones præsentes attentionem adferre nequit, *animo absens esse* dicitur. Unde *absentia animi* est defectus attentionis sufficientis ad id, quod nobis jam præsens est, consequenter ad actionem etiam præsentem.

Per *morem* intelligimus modum constantem ac perpetuum determinandi actionem; sive positivam; sive privativam; dati generis, vel datæ speciei; seu identitas agendi in eodem casu. Hinc *mores animi* seu *hominum* dicuntur modi constantes ac perpetui, determinandi actus facultatum animæ, quatenus a libertate nostra pendent. Vulgo *mores* accipiuntur pro determinatione generali appetitus ad actiones certi generis vel speciei committendas; & aversationis ad actiones certi generis, vel speciei non committendas seu omittendas. Dicitur autem generalis ista determinatio *dispositio*, quatenus appetitus, & aversatio ita sese habent, ut, quoties agendi occasio offertur, hoc modo determinetur. Unde *mores* definiuntur per dispositionem quamdam appetitus. Actiones externæ iisdem respondentes, quatenus scilicet cum istis ponuntur, mores in horum identitate consistentes *externi* vocantur, *naturales*, qui per essentiam, & naturam animæ, & corporis determinantur, *liberi*, qui a libertate animæ dependent, *simulati*, constans quædam, & perpetua voluntas edendi actiones simulatas; *veri* constans quædam, & per-

perpetua voluntas edendi actiones sinceras; *naturales*, qui a determinatione generali appetitus sensitivi ad appetenda ea, quæ voluptatem creant, & aversationis sensitivæ ad aversanda ea, quæ tædium seu molestiam pariunt, dependent; *adventitii*, qui naturales non sunt, aut qui quacumque de causa acquiruntur, cum per essentiam, & natura hominis non determinentur; *naturales communes*, qui omnibus hominibus conveniunt; *proprii*, qui non omnibus conveniunt, sed pro diversitate subjectorum variant.

Dependentia morum, & actionum a libertate positiva est, quæ ab usu libertatis proficiscitur; *privativa* vero, quæ a non usu oritur, seu intermisso ejus usu ponitur.

Mores conjectare dicimur, si ex iis, quę in sensus incurrunt, determinationem generalem appetitus, & aversationis quoad actiones certi generis vel speciei probabiliter saltem colligimus. Inde est, quod ars conjectandi hominum mores dicatur *semiotica moralis*.

Vultus, die mine, est compositio faciei determinato situ partium faciei mobilium facta. *Gestus* sunt motus brachiorum determinato situ partium ad eadem pertinentium facti. *Positus corporis* est compositio totius corporis externi situ partium mobilium, quomodocumque determinato resultans. *Incessus* est motus pedum determinato situ partium ad eos pertinentium factus. *Vox* est spiritus per glottidem emissus sonorus. *Sermo* est significatio actuum facultatum animæ, veluti perceptionum, appetitionum, & aversionum per vocabula.

Actio externa sincera est, quæ cum interna consentit. *Consentit* autem, si in actibus externis, quæ actionem externam respiciunt, nihil occurrit, quod eidem contrariatur, sed omnes potius in hujus determinationem influunt. *Simulatio* est dissensus actionis externæ ab interna. *Dissentit* autem, si exter-

externa internæ fuerit contraria. *Dissimulatio* est occultatio actionis tam internæ, quam externæ, tam positivæ, quam privativæ, quomodocumque facta. Si ea actio committenda occultatur, *præcedens*; si ea, quæ nunc actu committitur, ac occultatur, *consistens*; si actio jam commissa ea occultatur, *consequens* est. Si contra *simulatio* fit actionis committendæ gratia, *præcedens*; quæ si committatur præsentem seu eam, quæ actu committitur, *consistens*, quæ vero si fit actionis jam commissæ causa, *consequens* est.

Actio consueta est, quæ consuetudine agendi proficiscitur. Ei contraria dicitur *insueta*.

Motiva colliduntur, si unum alteri fuerit contrarium quoad eamdem actionem, scilicet, ubi unum facit ad determinandum actum appetitus, alterum vero ad determinandum actum aversationis. Unde *collisio motivorum* est eorumdem contrarietas quoad eamdem actionem.

Signa communia in genere dicuntur, quæ genera rerum, non vero speciem earumdem significant, seu ex quibus colligitur, sub quonam genere res quædam, quæ significatur, contineatur. Hinc in specie *signa communia affectuum* appellamus, quæ pluribus affectuum speciebus conveniunt. *Signa propria* dicuntur, quæ species rerum significant, seu ex quibus colligitur, sub quanam specie res significata contineatur. Hinc in specie *signa affectuum propria* sunt, quæ non nisi uni affectuum speciei conveniunt.

Signum simplex dicitur, quod in plura a se invicem distincta resolvi nequit, seu in uno quodam ente observabili consistit; *coacervatum* plurium simplicium congeries, ex quibus simul sumtis aliquid colligitur; *diagnosticum*, quod rei cuidam agnoscendæ ac ab aliis discernendæ adhibetur. Unde *affectuum signa diagnostica* sunt, quæ affectibus agnoscendis ac inprimis eorumdem speciebus discernendis adhibentur.

Res

Res latere vel *latitare* dicitur, si nulla clarâ perceptione menti fuerit obvia, dum præsens est, seu quam præsentem sive in nobis, sive extra nos clare percipere non possumus, *apertum* contra; quod non latet, consequenter, quod præsens clare percipimus.

Verba præmeditata dicuntur, quæ, quod proferre velis, decrevisti, nec nisi debita attentione profers, ne sint decreto contraria.

Indicium est ratio quæcumque probabilis veri latentis. Unde *morum indicia* sunt rationes, quibus probabile nobis redditur, hos esse alteri mores.

Physiognomia est ars conjectandi hominum mores ex conformatione externarum præsertim partium corporis, aliisque in eodem observabilibus, quæ in diversis corporibus differunt. Quidam latius sumunt vocabulum, ita ut *physiognomiam* definiant per artem conjectandi hominum morem ex constitutione corporis. *Constitutio* autem *corporis* complectitur conformationem partium corporis, temperamentum & motus in corpore conspicuos. *Physiognomizare* dicitur, qui ex conformatione partium corporis aliisque indiciis a corpore desumtis mores hominum conjectat.

Determinatio generalis appetitus ad aliquid appetendum dicitur *inclinatio*, & in specie *naturalis*, si ea naturalis fuit, seu, si per naturam animæ is fuit hoc modo determinatus. Ex adverso *reclinationem* appellamus determinationem generalem aversationis ad aliquid aversandum; & in specie *naturalem*, si ea naturalis fuit, seu, si ea per naturam animæ fuit hoc modo determinata. Dici etiam solet *horror naturalis*.

Generalem determinationem facultatis cognoscitivæ ad repræsentandas sibi actiones tanquam bonas, ex quibus voluptas percipitur, & tamquam malas, quæ tædium sive molestiam pariunt in moribus naturalibus, *instinctum moralem* appellare lubet.

Vox,

Vox, *vultus* & *gestus* dicuntur *naturales*, qui inclinationibus & reclinationibus naturalibus conformes sunt; at *affectati*, qui difformes aut contrarii sunt.

Onirologia moralis est ars conjectandi hominum mores ex somniis.

DEFINITIONES
EX
JURE NATURÆ

PER *jus naturæ* intelligimus scientiam juris naturalis hominum & obligationum eidem respondentium.

Obligatio universalis est, qua quilibet homo tenetur, quatenus homo est, *singularis* vero, qua quis ex alia ratione tenetur, quam quia homo est.

Jus universale est, quod homini cuilibet competit, quatenus homo est; *singulare* contra, quod homini cuidam competit ex ratione alia, quam quia homo est.

Si fuerit series rationum A, B, C, &c. S ipsius, T, ita ut A ratio sit ipsius B, B vero ipsius C, & ita porro, tandemque S ipsius T, dicetur S *ratio* ipsius T *proxima*, cæteræ omnes dicentur *remotæ*, & C dicetur *propior* quam B, B vero *propior* quam A. Ex adverso autem A *remotior* quam B, B vero *remotior* quam C & ita porro, donec tandem ad proximam pervenias, qua alia propior non datur. *Ratio*, in qua terminatur analysis rationis proximæ in suas remotiores, seu a qua incipit illa rationum series, in qua tandem ad proximam descenditur, vocatur *prima*, si ab ea descendendo progrederis ad proximam, *ultimam* vero

ver si a proxima regrederis, donec tandem subsistendum.

Obligatio connata dicitur, cujus ratio proxima in ipsa hominis essentia atque natura continetur, aut que ex tuli obligatione per se, hoc est, nulla superaccedente ratione alia descendit; *contracta*, quæ ex obligatione rationem proximam in ipsa hominis essentia atque natura habente per se non descendit; sed facto demum quodam interveniente; *absoluta*, quæ in hominem per se cadit citra ullum factum humanum suppositum; *hypothetica*, quæ non nisi sub certa facti humani conditione eidem competit; *primitiva*, quæ rationem proximam in essentia atque natura hominis habet; *derivativa*, quæ rationem proximam in alia quadam obligatione, vel aliis obligationibus & juribus simul habet; *communis*, cujus ratio sufficiens in natura & essentia hominis continetur, quatenus ea omnium hominum communis est; *propria*, cujus ratio sufficiens non continetur nisi in essentia atque natura hominis, quatenus eidem insunt determinationes quibusdam hominum individuis, aut uni eorum propriæ; *interna*, quatenus spectatur in conscientia; *externa*, quatenus spectatur inter homines adeoque effectum quendam juris inter eos sortitur. *Plus obligationis* esse dicitur ei, qui pluribus obligationibus tenetur, quam alter, *pauciores* vero *obligationes* sunt ejus, qui paucioribus tenetur quam alter. *Major obligatio* est, quæ ad plura extenditur, *minor* autem, quæ ad pauciora.

Unum ex altero oriri dicitur, quod rationem sui, cur sit, & cur tale sit, in altero habet.

Natura habere dicimur, quod nobis per essentiam & naturam nostram competit, *inesse* vero, quod per essentiam & naturam nostram nobis inest.

Jus primitivum est, quod ex obligatione aliqua primitiva oritur; *derivativum*, quod ex obligationibus & juribus aliis se prioribus oritur; *absolutum*, quod homini per se nullo supposito facto humano competit;

petit; *hypotheticum* vero, quod non nisi competit sub conditione facti cujusdam humani, *connatum*, quod ex obligatione connata oritur; *acquisitum*, quod ex sola quadam obligatione connata non oritur, sed interveniente demum facto quodam humano resultat; *fictum*, quod sumitur, cum esse nequeat; *infinitum*, cui in genere non præscribi possunt limites, sed cui demum limites præfiguntur ex circumstantiis præsentibus. *Plus juris* habere dicitur, cui plura sunt jura, quam alteri; *paucius* autem *jus* habet, cui pauciora jura competunt, quam alteri. In specie idem *jus majus* dicitur, quod ad plura, quod ad pauciora extenditur, *minus*.

Rectus juris usus dicitur is, quem officia exigunt; *minus rectus* autem, qui iisdem contrariatur. Usus non rectus vocatur etiam *abusus*.

Homo moralis est subjectum obligationum atque jurium, & dicitur *incorruptus*, cujus actiones omnes tam positivæ quam privativæ cum obligationibus & juribus ejusdem consentiunt; *corruptus* contra, cujus actiones omnes tam positivæ quam privativæ obligationibus, & juribus ejusdem contrariantur.

Homines dicuntur *æquales*, quorum eadem sunt jura & obligationes eædem, *inæquales* vero, quorum non eadem ac totidem sunt jura nec eædem, neque totidem obligationes.

Prærogativa, ein Vorrecht, dicitur jus, quod alicui præ aliis eodem jure cæteroquin utentibus competit; *præcellentia* vero jus prioritatis in ordine a pluribus simul observando.

Jus acquirere dicitur, qui facto quodam intervenient ejus redditur particeps. *Modus acquirendi* est factum, quo juris reddimur participes.

Titulus, qui est ratio legalis, per quam patet factum quoddam tale jus parere posse, dicitur *verus*, si & factum fuerit verum, & lex declarat hoc facto jus tale acquiri; *putativus* vero, si putes,

tes, factum esse verum, cum non sit lex autem declarat hoc facto jus tale acquiri, *falsus*, si factum quidem verum fuerit, in eo autem erras, quod lex declaret, hoc facto jus tale acquiri posse; *onerosus*, si lex, quæ declarat, te facto tuo acquirere aliquod jus, simul te obligat, ad aliquid vicissim præstandum, at *lucrativus*, si lex, quæ declarat, te facto tuo acquirere aliquod jus, ad nihil vicissim præstandum te obligat.

Status hominum moralis est, qui determinatur per jura iisdem competentia, & obligatione ipsorum; *naturalis*, qui determinatur per jura mere naturalia eaque singulorum, & obligationes mere naturales; *originarius*, qui determinatur per jura connata connatasque obligationes, *adventitius* vero, qui determinatur per jura acquisita, & obligationes contractas; *Civilis* contra, qui determinatur per jura civilia.

Suum dicitur, in quod homini cuidam soli jus perfectum competit.

Potestas dicitur jus, quod quis in se vel personam quamdam alteram habet. *Subjectus alteri* seu *potestati alterius* dicitur, in quem alteri potestas competit, seu in quem alteri jus competit: *sui juris* vero, qui alterius cujusdam potestati subjectus non est. Vocatur etiam *liber*, ut adeo *libertas* sit potestas in se ipsum.

Status libertatis est, qui determinatur per jus libertatis.

Jus in actiones suas habere dicitur, qui salva obligatione sua facere potest, quod libet. *In alterius* vero *actiones jus habet*, ad cujus voluntatem alter actiones suas componere obligatur.

Alienum est, in quod non tibi, sed alteri cuidam soli jus perfectum competit.

Alieni juris, qui potestati alterius subjectus est, seu in quem alium jus perfectum habet.

Licentia est jus sine ulla restrictione faciendi, quod libet; *libertas* vero, quæ independentia hominis

seu

seu actionum ipsius a voluntate alterius hominis cujuscumque est, dicitur *naturalis*, quæ homini natura competit.

Ingenuus est, qui liber nascitur, seu qui statim, ut natus est, liber est.

Exlex dicitur, qui nulla lege tenetur.

Officium erga animam est, quod homo, quoad animam, *erga corpus*, quod quoad corpus, *respectu status externi*, quod quoad statum externum sibimetipsi debet.

In potestate nostra esse dicuntur, quæ facultatum, virium ac rerum nostrarum usu aliorumque ope ac auxilio consequi, vel evitare possumus. *In eadem* vero *non esse* dicitur, quod facultatum, virium ac rerum nostrarum usu aliorumque ope ac auxilio consequi, vel evitare minime valemus.

Habitus animæ, vel *simplices* sunt, qui singuli ad unam tantummodo facultatem referuntur, vel *compositi*, qui ex concursu plurium resultant, sive ad easdem, sive ad diversas facultates referendorum.

Cognitio distincta dicitur, quæ notionibus ac ideis rerum distinctis absolvitur; *confusio* autem, quæ in confusis terminatur.

Principia demonstrandi prima dicuntur, quæ alia non supponunt, seu quæ sine probatione, vel demonstratione ad demonstranda alia sumuntur; *a primis* vero *orta*, sunt propositiones inde demonstratæ, vel quæ, ubi demonstratæ fuerint, in aliis deinde demonstrandis sumi possunt.

Familiare nobis dicitur *cognoscibile*, quod sua veluti sponte memoriam subit, quoties de eo cogitandi occasio offertur.

Intelligentia dicitur habitus prima principia demonstrandi cognoscendi.

Ars dicitur habitus determinandi actum alicujus entis. Ens omne, quod arte ad actum perducitur, *opus artis*.

Habitus utendi, & abutendi facultate appetendi

& aversandi, in primis rationali, seu voluntate, & noluntate, dicuntur *habitus morales*. Illos vocare lubet *bonos*, hos *malos*, sive *pravos*.

Affectus compescere dicimur, si iis resistimus, ne in actus externos legi naturæ contrarios, ad quos tendunt, erumpant; *regere*, si eos dirigimus ad actiones legi naturæ convenientes; *sedare*, si operam damus, ut, ubi subito corripiunt animum, rursus extinguantur, aut saltem mitigentur. *Extinguuntur*, si prorsus cessant, ut animus ab iis liberetur, *mitigantur*, si gradus imminuitur, ut animus minus perturbetur.

Organa, quæ vitæ ac speciei conservationi destinantur, *vitalia*; quæ sensationi ac pendentibus inde actibus imaginationis inserviunt, *sensoria*; quæ denique ad motum localem membrorum externorum totiusque corporis faciunt, *moventia* appellare lubet. *Sensoria externa* vocantur, quæ exterius in corpore comparent; *interna* vero, quæ intra idem latent.

Corpori tribuitur *facultas vitalis*, qua perficiuntur actiones ad vitæ seu individui, & speciei conservationem necessariæ; *sensitiva*, qua perficiuntur functiones ad sensibilia percipienda necessariæ; *motrix locomotiva*, qua perficiuntur motus membrorum externorum corporis totiusque corporis.

Corpus hominis consideratur *tamquam vivum*, quatenus habet facultatem vitalem, *tamquam sentiens*, quatenus habet facultatem sensitivam, *tamquam se movens*, quatenus habet facultatem locomotivam, & *tamquam humanum*, quatenus animæ rationali unitum, seu quatenus harmonia inter mentem, & corpus datur.

Organa corporis servantur integra, quamdiu nihil in structura eorumdem vitiatur, ut adeo *integritas organorum* consistat in structura eorumdem non vitiata.

Habitus in genere corpus, & membra externa ejus-

ejusdem in quemlibet situm celeriter componendi situmque mutandi vocatur *agilitas*.

Status ille corporis, quo singulæ ipsius partes munere suo rite funguntur, dicitur *sanitas* seu *valetudo bona*. Et eodem sensu sanitas prædicatur de quolibet corporis organo seu qualibet ejus parte. Ita oculus, qua organum sensorium dicetur sanus, quamdiu aptus deprehenditur ad eam functionem, cui visus gratia destinatur; qua pars corporis viventis, quatenus ejus conservatio nulla ex parte impeditur, sed omnia hac ex parte rite sese habent. Status oppositus corporis, quo una vel plures ejus partes ad usus suos, quibus destinatur, aptæ non sunt, *morbus* dicitur. Et eodem sensu morbus prædicatur de quolibet corporis organo seu qualibet ejus parte. Ita oculus, qua organum sensorium, non erit sanus, sed morbo quodam affectus, quando ad visum deprehenditur ineptus. Dicetur idem morbo laborare, quando eidem accidunt, quæ ejus conservationi repugnant. Similiter ventriculus non amplius erit sanus, sed morbo laborat, quando ad cibos digerendos fuerit ineptus.

Errorem externum dicimus impedimentum actionis organi, ad quam producendam ipsum in se spectatum aptum deprehenditur.

Autochiria dicitur factum quodcumque, quo quis sibimetipsi vitam adimit; & *autochis* vocatur, qui sibimetipsi vitam quocumque modo adimit, seu eadem sese privat.

Mors voluntaria dici solet, quam quis sibimetipsi consciscit, ea nempe intentione, hoc faciens ut moriatur; *naturalis*, quæ nullo facto humano consciscitur, quod scilicet perpetratur ea intentione, ut moriaris; *violenta*, quæ facto cuidam humano debetur, sive proprio, sive alieno.

Usuarius dicitur, cui competit jus re quadam utendi.

Alimenta dicuntur res, quę in substantiam cor-

 poris

poris nostri verti possunt. Si sunt solida; *cibi*, sin fluida, *potus* vocantur.

Anthropophagus dicitur, qui carne humana vescitur.

Cibus dicitur *insalubris*, qui sanitati contrarius, vel morborum causa est; *salubris* vero, qui sanitati non officit, seu ad morbum generandum non concurrit. Similiter *potus insalubris* est, qui sanitati officit, seu morborum causa est; *salubris* vero, qui sanitati non officit, seu ad morbum nihil confert, *animalis*, qui ex animantium, *vegetabilis*, qui ex *vegetorum* vel vegetntium genere petitur.

Justa seu moderata cibi ac potus quantitas est, cui digerendæ ventriculus, & quæ restituendo, quod per transpirationem insensibilem absumptum est, sufficit. Unde patet, quando *quantitas* sit *nimia*, scilicet quæ justa major, & quando *nimis exigua*, nimirum quæ justa minor. *Temperans* dicitur, qui cibum ac potum salubrem justa quantitate capit. Res externæ, quarum usus ad conservationem vitæ requiritur, vel sine quibus vita corporis conservari nequit, *vitæ præsidia* vocantur.

Medicamentum dicitur, quidquid corpori mutationem quamdam inducere valet ad sanitatem restituendam necessariam.

Usus rerum sed non naturalium sanitati corporis conveniens *diæta* dicitur.

Ebrietas est status corporis, quo ex potu nimio, veluti vini ac cerevisiæ, aut vini adusti vel sublimati functiones cerebri turbantur. *Sobrietas* autem est habitus, sibi a nimio potu inebriante temperandi. Sensio molesta deficientis in ventriculo cibi *fames*, ut deficientis potus *sitis* vocatur.

Actiones ministræ sunt quæ ad officium aliquod explendum necessariæ sunt, seu requiruntur, in se spectatæ autem actus obligatorii non sunt; quæ ad finem ab agente intentum, vel intendendum nil faciunt, *superflua*; superfluæ vero ministris superaccedentes dicuntur *accessoria*.

Par-

Partes corporis obscœnas appellare solemus, quæ conspectæ vel contactæ ad libidinem stimulum addere solent.

Vitam commode transigere dicimur, si quæ nobis agenda sunt, ea absque omni molestia peragere valemus. Unde *vitam incommodam faciunt*, quæ in causa sunt, ut, quæ nobis agenda sunt, ea non sine omni molestia peragere valeamus. Dicuntur hinc etiam *commoda*, quæ ab actionibus nostris omnem molestiam removent; *incommoda* vero, quæ eas molestias faciunt, seu in causa sunt, ut ex iis molestiam quamdam seu tædium quoddam percipiamus.

Vitam jucunde transigere dicimur, si ea agimus, ex quibus voluptatem veram, vel saltem innocuam transigimus. *Injucunde eam transigere* videmur, si ea agimus, ex quibus voluptatem nocuam percipimus.

Corpus ornare dicitur, si facto quodam nostro pulchritudinem quamdam ipsi conciliamus.

Symmetria corporis consistit in convenienti partium externarum ad se invicem, & ad totum corpus proportione; *eurythmia* vero est similitudo partium corporis externarum, quæ ab utroque latere sunt partium mediarum dissimilium.

Pulcritudo naturalis dicitur, quæ corporis hominis natura inest; *artificialis* vero, quæ facto quodam nostro eidem conciliatur.

Ornamenta dicuntur, quæ tantummodo corpori ornando inserviunt, seu ejus ornandi gratia parantur; *vestes* vero, quæ corporis tegendo adhibentur.

Corpus mundum facere dicimur, si pulcritudinem corporis naturalem, quatenus a qualitatibus sensibilibus pendet, conservare, & perficere studemus. Hinc *mundus* appellatur, quod eum præstat usum, ut mundiores fiamus.

Rei nomine hic venit ens omne, quod homini usui esse potest, veluti ad vitam conservandam, & commode atque jucunde transigendam, vel ad

animæ corporisque perfectionem quomodocumque promovendam.

Res corporales dicuntur, quæ sensu percipi possunt, *incorporales*, quæ sensu externo percipi non possunt, sed intellectu tantummodo concipiuntur; *necessaria*, quæ ad vitæ ac sanitatis conservationem requiruntur, seu sine quibus vita ac sanitas conservari nequit, & quæ ad animam perficiendam requiruntur; seu sine quibus ea perfici nequit, ut vitam perfectam vivat; *utiles*, quę ad vitam commode degendam requiruntur; *voluptuaria*, quæ nonnisi ad vitæ jucunditatem faciunt; *pure naturales*, quas natura sua sponte producit; *industriales*, quas natura non nisi interveniente opera humana producit; *artificiales*, quæ arte humana parantur.

Laboris nomine veniunt actiones, quibus res, sive corporales, sive incorporales producuntur, vel comparantur, aut ad eas producendas saltem concurritur, & quæ ad vitam commode, jucunde ac decore agendam quomodocumque faciunt. Unde *labor* etiam definiri potest per operam, quæ rebus corporalibus, & incorporalibus producendis, vel vitæ commoditati, jucunditati, & decori promovendis impenditur. Vacatio a labore dicitur *otium*.

Labor nimius dicitur, qui cum dispendio sanitatis continuatur; *moderatus*, qui cum nullo sanitatis dispendio conjunctus; *nimis gravis*, cui superando vires nostræ vix ac ne vix quidem sufficiunt, seu qui vires nostras excedit.

Per *vitæ genus* intelligitur status, quo quis certo labori obeundo vitam suam impendit. *Aptus ad certum vitæ genus* dicitur homo, si per dispositiones naturales, quæ ipsi sunt, eum facultatum usum acquirere valet, qui ad laborem, per quem istud vitæ genus determinatur, recte obeundum requiritur.

Assiduus in labore dicitur, qui nullum prætermit-

mittit tempus, quo non labori vacet, quando vacare permittitur. Unde *assiduitas laboris* est eum sine intermissione continuendi habitus.

Aliorum de perfectione nostra judicium dicitur *existimatio*. Actus vero externi, quibus istud significamus, *honor* vocantur.

Laudare alterum dicitur, qui suum de perfectione alterius judicium verbis significat. Unde *laus* est oratio, qua nostrum de perfectione alterius judicium significamus.

Laude dignus est, qui existimatione, & honore dignus est.

Habitus intellectus dicuntur *virtutes intellectuales* in oppositione ad habitus voluntatis, & noluntatis bonos, quos *virtutes morales* appellare solemus, & qui vulgo virtutes simpliciter audiunt, hoc est, habitus intellectu recte utendi, in rerum quarumcumque cognitione, verum scilicet à falso, certum ab incerto, probabile a minus probabili accurate discernendo. Quatenus referuntur ad solum intellectum præcisis rebus, circa quas cognoscendas intellectus versatur, ita ut is saltem aptus spectetur ad cognitionem rerum rectam acquirendam, *formales*, & *materiales*, quatenus simul respiciunt res cognoscendas. *Vitia*, quæ virtutibus moralibus opponuntur, *intellectualia* appellare lubet, & quidem *privativa*, quæ in sola privatione virtutum intellectualium consistunt, ac *positiva*, quæ a perverso intellectus usu dependent.

Fama hominis est communis hominum aliorum sermo de habitibus intellectualibus, & moralibus ejusdem. Quodsi habitus morales fuerint virtutes, *fama* dicitur *bona*; si vitia, *mala* audit. Habitus intellectuales cum non habeant sibi oppositos, quemadmodum morales, *famam* pariunt nunc *magnam*, nunc *parvam*, pro diversis virtutum intellectualium gradibus; nunc *latam*, nunc *arctam*, prouti per plura loca diffunditur, vel per pauciora. Fama quoad virtutes intellectuales dicitur *celebritas*, &

in genere *fama* dicitur communis hominum de facto aliquo sermo. *Eam servare* dicitur, qui sollicite cavet, ne bona in malum degeneret. Contra *infamia* est communis hominum de vitiis alterius opinio. *Famam alterius lædere* dicitur, qui alteri infamiam adspergere conatur. Quodsi gravius lædat, eamdem *lacerare*. Eodem sensu *honorem*, & *existimationem alterius lædere* dicitur, qui alteri ignominiam, & contemtum facere conatur. *Famæ alterius*, *laudi*, *existimationi*, ac *honori detrahere*, qui eam diminuere conatur.

Modestus dici solet, qui appetitum circa honorem legi naturali convenienter determinat. Unde *modestia* est virtus moderandi appetitum circa honores.

Magnanimus dici suevit, qui appelitum circa honores magnos legi naturali convenienter determinat. Unde *magnanimitas* virtus moderandi appetitum circa honores magnos.

Arrogans dicitur, qui se honore dignum existimat, quo non est. Unde *arrogantia* definitur per vitium, quo quis affectat honores, quibus dignus non est, atque *ostentatio* per vitium, quoquis existimationis affectandæ causa de se sive vera, sive falsa aliis insinuare conatur factis. Contra *superbus*, qui supra alios sese effert, seu majoris fieri vult aliis, & *superbia* vitium, quo quis sese effert supra alios, vel iisdem majoris vult fieri.

Pusillanimis vocari solet, qui honores prorsus non curat, nec famæ ullam rationem habet. Unde *pusillanimitas* est vitium, quo omnis honoris ac famæ cura abjicitur.

Ambitiosus dicitur, qui cupiditate honoris insatiabilis flagrat. Itaque *ambitio* est insatiabilis honoris cupiditas seu vitium, quo honorem tamquam finem ultimum eorum, quæ facimus, intendimus.

Humilis dicitur, qui de seipso sentit, uti par est, seu veram de perfectione propria fert judicium.

cium. Unde *humilitas* virtus est, quæ moderatur appetitum circa existimationem sui ipsius. *Fastus* dicitur vitium, quo quis plus sibi tribuit perfectionis, quam revera convenit, & circa eandem plus sibi sese debere videtur, quam veritati consentaneum.

SCHOL. GOTTL. SAM. NICOLAI diss. de submissione mentis, vulgo humilitate, Hal. 1750. M. Jo. FRIDER. LEISNERI progr. II. an humilitas virtus christianorum sit propria, Cizæ, 1750 1731.

Animus abjectus vocatur vitium, quo quis sese minoris facit, quam par est, perfectionis propriæ nullam prorsus rationem habens in agendo.

Patientia est virtus, quæ moderatur appetitum, & aversationem circa fortunam adversam. *Impatientia* est vitium, quo tristitiæ nimium indulgemus in adversis, & affectibus molestis aliis animum torquemus.

Ad casus futuros se præparare dicitur, qui adversa, quæ in potestate sua posita non sunt, sibi repræsentat tamquam eventu possibilia, nec a se declinabilia. Ideo *præparatio ad casus futuros* est prævisio probabilis malorum futurorum a nobis non evitabilium.

Fortis dicitur, qui metu periculi imminentis sese adduci minime patitur, ut faciat, quod non facere debeat, vel non faciat, quod debeat facere. Unde *fortitudo* est virtus, quæ moderatur metum, quominus eodem adducamur ad faciendum, quod non facere, & ad non faciendum, quod facere tenemur. Hinc *fortitudo bellica* est virtus, qua moderatur metus ob periculum in certamine aut aliis operationibus bellicis imminens, ne eodem impediatur miles, quo minus functiones suas intrepide obeat.

Timidus dicitur, qui levissimi cujusvis periculi metu adduci se patitur, ut faciat, quæ facere non debeat, aut non faciat, quæ facere debebat. Unde *timiditas* vitium est, quo metu levissimi cujusvis pe-

periculi nos adduci patimur, ad faciendum, quod facere non debebamus, & ad non faciendum, quod debebamus facere. *Audax* dicitur, qui, nulla obligatione urgente pericula quævis subit, veluti vitæ, ac integritatis membrorum, corporis amittendæ. Unde *audacia* est vitium subeundi pericula quævis nulla obligatione urgente.

Dilectio sui est constans, & perpetua voluntas felicitatem suam promovendi, hoc est, omni studio id agendi, ut simus felices, nobisque cavendi, ne reddamur infelices. Dici etiam solet *amor proprius*. Enim vero cum amoris nomen tribuimus affectui, qui in appetitu sensitivo residet; *amorem* quoque *proprium* appellare lubet dispositionem animi ex propria felicitate voluptatem percipiendi, *inordinatum*; qualis natura in appetitu sensitivo residet, *ordinatum*, quatenus ad normam rationis exigitur, *rationalem* nisi amoris proprii cum dilectione sui consensum, qui ab eo oritur, dum appetitus sensitivus, quatenus in felicitatem fertur, in consensum reducitur cum rationali. At *dilectio alterius* est constans, & perpetua voluntas felicitatem alterius promovendi, hoc est, omni studio id agendi, ut alter sit felix, ac cavendi, ne fiat infelix.

Caritas est virtus, qua alios diligimus tamquam nosmetipsos.

Amicus dicitur persona, quæ nos amat, ut adeo *amicitia* sit duorum pluriumve mutuus amor, seu animorum mutuo facta amore unio. Hæc est *universalis*, *naturalis*, *generalis*, quæ ex amore universali fluit; *particularis*, *specialis*, qua amor universalis, quoad actus dilectionis externos ad certas personas restringitur, legi naturæ convenienter. Contra *inimicus* persona, quæ nos odio persequiter, ut adeo *inimicitia* sit duorum pluriumve mutuum odium. *Indifferenti in alterum animo* est, qui neque amicus, neque inimicus est, consequenter alterum nec amat nec odit.

Officia

Officia humanitatis sunt officia erga alios, quibus eorum perfectio, consequenter felicitas promovetur.

Obligatio interna dicitur, quatenus spectatur in conscientia, *externa* autem, quatenus spectatur inter homines adeoque effectum quemdam juris inter eos sortitur.

Officia dicuntur *perfecta*, ad quæ perfecte alteri obligaris, *imperfecta* vero, ad quæ non nisi imperfecte obligaris alteri.

Lædere alterum dicitur, qui e'us statusque ipsius externi imperfectionem promovet, seu alterum ejusque statum imperfectiorem reddit. Unde *læsio* est actio, qua alter vel status ejus externus redditur imperfectior.

Vulnus dicimus solutionem continui in parte molliore corporis a causa quadam externa factam. Unde *corpus vulnerare* dicitur, qui in parte quadam molli continuitatem quomodocumque solvit, sive fiat cædendo, quem ad modum gladio acuto dissecatur cutis cum musculo subjacente, vel etiam vena quædam aut arteria, sive pungendo, veluti si quis gladio perfodit thoracem; sive contundendo, veluti si quis ligno duriori ferit caput, aut alio quocumque modo, veluti a sclopetorum globulis. *Letale* est, ex quo vulneratum obire necesse est, *minus letale* vero, ex quo vulneratum obire necesse non erat, licet ex accidente causa quadam alia quacumque superveniente objerit.

Ruptura est solutio continui in parte molliori nimia tensione facta.

Fractura est solutio continui in parte quadam dura seu osse corporis.

Luxatio est articuli ossis, quo alteri jungitur, e sede sua in alienum prolapsus.

Occidere alterum dicitur, qui mortem eidem facto quodam suo consciscit, seu vita eumdem privat. Unde *homicidium* est factum, quo quis alteri mortem consciscit, seu vita alterum privat. *Necessarium* dicitur,

citur, quod sui defendendi gratia periculo vitæ vel mutilationis membrorum non aliter evitabili committendum; *voluntarium*, quod intentione sive directa, sive indirecta committitur, & etiam *dolosum* vocatur, quia committitur dolo, adeoque a sciente & volente sive directe, sive indirecte; *culposum*, quod non nisi culpa specialiter scilicet dicta committitur; *casuale*, quod non nisi casu improviso, nec evitabili committitur.

Contemnere alterum dicitur, qui actibus externis declarat, alterum honore ac laude indignum esse. Unde *contemptus* est actus quicumque externus, quo significatur, alterum honore ac laude indignum esse, & *res contemnere* dicitur, qui nullum ipsis statuit pretium, seu actibus externis declarat, quod nullum ipsis pretium statuat.

Reconciliari dicitur amicus, si ex inimico reddatur amicus. *Reconciliatio* est *perfecta* quæ & simpliciter reconciliatio dicitur, si ex inimico alter reddatur amicus, ac *imperfecta*, si alter quidem desinit esse inimicus, indifferenti tamen erga te manet animo.

Placabilis dicitur, qui ad reconciliationem pronus est, *implacabilis* vero, qui se alteri reconciliari non patitur. Itaque *placabilitas* est virtus, qua quis ad reconciliationem pronus est; *implacabilitas* vero vitium, quo quis se alteri reconciliari non patitur.

Pars pari referre dicitur, si quod quis ipsi fecit, vel non fecit, idem etiam facit vel non facit alteri, quia alter fecit vel non fecit, *Bonum bono ferre*, *vel rependere* dicitur, si alter tibi existit causa boni, & tu vicissim ipsi causa boni existis, quia ipse extitit. Ex adverso *malum malo referre* seu *rependere* dicitur, si alter tibi extitit causa mali; & tu vicissim ipsi causa mali existis; quia ipse extitit. *Malum bono referre* dicitur, qui cum alter tibi causa mali extitit, tu ipsi causa boni existis, non obstante, quod ille extiterit causa mali. Denique *bonum*

malo

malo referre dicitur, qui cum alter tibi causa boni extitit, tu ipsi causa mali existis, non obstante, quod ille extiterit causa boni.

Aliorum de imperfectione nostra judicium, quatenus ejus causa libera sumus, *ignominia* est. Unde alterum *ignominia afficere* dicitur, qui actibus externis quibuscumque hoc suum de imperfectione alterius judicium declarat. *Contumelia* sunt actus externi, quibus alter ignominia dignus declaratur.

Vituperare alterum dicitur, qui perfectionis defectus eidem imputat. Unde etiam *res vituperare* dicimur, si in iis notamus defectus perfectionis, ad imminuendum earum pretium. Ideo *vituperium* est sermo, quo alteri defectus imperfectionis imputantur. *Calumnia* sermo est, quo alteri imputantur imperfectiones, quibus minime laborat. *Manifesta* est, quæ probabilitate omni, sive interna, sive externa destituitur, & probabiles minimum rationes in contrarium habet. *Speciosa*, quæ probabilitatem habere videtur. *Non manifesta*, quando in neutram contradictionis partem probabiles rationes prostant.

Convicia sunt vocabula, quibus alterum ignominia afficiendi animo imperfectiones eidem exprobramus. Hinc *conviciari alterum* dicitur, qui verbis quibuscumque prodit animum alterum ignominia afficiendi.

Nihili alterum facere dicitur, qui ob imperfectionem alterum ceteris omnibus postponit, immo tandem ex numero hominum quasi detrusum cum brutis in eumdem censum refert.

Injuria generaliter est actio quæcumque, quæ est contra jus perfectum alterius seu quidquid fit contra jus perfectum alterius, seu violatio juris perfecti alterius, specialiter vero est læsio existimationis seu honoris & famæ alterius quomodocumque facta. Est *realis*, quæ fit facto quodam, *verbalis* quæ fit verbis. *Injuria*, quæ alteri litteris sive in scri-

scripturam relatis verbis infertur, & qua fama læditur, dicitur *libellus famosus*.

Comem dicere iubet, qui unicuique honorem exhibet, quem meretur, tantumque tribuit laudis, quantum meretur, consequenter neminem vilipendit, nec sese supra alios effert. Ideo *comitas* est virtus, qua alteri honorem, quem meretur, laudemque meritam tribuimus. Qui in laudandis & honorandis aliis modum excedit, etsi ratio nulla sit, cur alter hoc mereatur, *adulator* dicitur. Unde *adulatio* est vitium, quo alios immeritis laudibus ac honoribus, quos eos non mereri probe novimus, cumulamus.

Humanus dicitur, qui ad officia erga alios præstanda pronus est, & in eis præstandis, ubi hoc in potestate ipsius positum, facilem sese præbet. Hinc *humanitas* virtus est, qua ad officia erga alios præstanda proni ac faciles sumus. *Inhumanus* dicitur, qui ab officiis humanitatis aliis præstandis a versum habet animum. Unde *inhumanitas* vitium dicitur, quo quis ab officiis erga alios avertit animum.

Officiosus dicitur, qui ad officia humanitatis, alteri præstanda semper paratus est, *inofficiosus* vero, qui nemini facile præstat aliquod officium humanitatis sed petenti potius denegat. Itaque *officiositas* virtus est, qua ad officia humanitatis alteri præstanda semper parati sumus, *inofficiositas* vero vitium, quo aliis officia humanitatis denegamus.

Jus non patiendi, ut quis te lędat, dicitur *securitatis jus*.

Qui nihil facit, quod est contra jus alterius, sed non nisi ea facit, quæ secundum jus alterius, seu salvo jure alterius aut eidem convenientes fieri possunt: *jus suum alteri tribuere* dicitur. *Suum alteri tribuere dicitur*, qui eidem præstat, ad quod præstandum perfecte obligatur, hoc est, qui ei dat, ad quod dandum eidem perfecte obligatur, vel facit, ad quod faciendum eidem obligatur.

Justi-

Justitia est virtus, qua jus suum cuique tribuitur, consequenter etiam unicuique suum. Est *universalis*, qua alteri jus suum tribuitur, quoad omnes actiones, quatenus respiciunt alios, veluti præbendo exemplum bonum, non vero malum.

Offendere alterum dicitur, qui quid facit, ex quo tædium sive molestiam animi percipit alter. Unde *offensa* est quælibet actio sive positiva, sive privativa, ex qua alter tædium sive molestiam percipit. *Vera* est, si actio privativa fuerit talis, ad quam committendam agens obligatur, positiva autem talis, ad quam omittendam obligatur: *nulla* contra, sed per errorem pro tali habetur ab altero, si actio privativa talis fuerit, ad quam omittendam agens obligatur, aut quam committere non erat in potestate ipsius positum; positiva autem talis, ad quam committendam obligabatur. Unde *vere offendi* quis dicitur, si offensa fuerit vera; *sine ratione* autem *se offensum putat*, si offensa fuerit nulla, sed perperam ab eo pro tali habetur. *Dolosa* dicitur, quæ dolo committitur, hoc est, a sciente & volente, sive si fiat animo alterum offendendi, ut adeo tædium alterius intendas directe, sive, quod parum tibi curæ sit, num alter offendatur, ut adeo tædium ejus intendas indirecte; *culposa* vero, quæ culpæ in specie sic dictæ quadam specie committitur.

Per *vindictam* intelligimus actus quoscumque, quibus alteri tædium creatur, propterea quod nos offendit. *Cupiditas vindictæ* est, qua nempe tædium seu dolorem alterius appetimus, qui nos offendit.

Mansuetus dicitur, qui offendenti non irascitur, aut iram saltem moderatur, ne ad vindictam tendat. Unde *mansuetudo* est virtus quę moderatur iram, & animum a vindictæ cupiditate immunem præstat. *Iracundus* vero, qui cupiditatem vindictæ difficulter reprimit. Unde *iracundia* vitium est, quo quis cupiditatem vindictæ difficulter

ter reprimit, seu animum ab eadem purgat. Vitium contra quo quis cupiditatem vindictæ non ante deponere vult, quam eamdem exsatiaverit, vocamus *amaritudinem*. Qui cupidinem vindictæ non ante deponit, quam ea, qua offendisse videtur, quantumcumque malum inflixerit, *crudelis* dicitur. Unde *crudelitas* vitium est, quo cupidini vindictæ adeo indulgetur, ut non exsatietur, nisi malo quantucumque ejus, qui offendisse videtur. Qui cupiditatem vindictæ deponit, *condonare offensam*, aut *ignoscere* dicitur.

Blandities est habitus, quo actiones externas ad id unice componimus, ut placeant alteri, nulla prorsus ratione habita moralitatis earundem. *Blanditiæ* vocantur signa amoris, quæ animo placendi vultu, gestu, verbis ac dictionibus ad voluptatem alterius unice compositis eduntur. *Assentari* dicitur, qui, quæ loquitur vel facit alter, laudibus extollit, ut placeat, seu utilitatis captandæ gratia, parum sollicitus, num laudem istam, mereantur, & an non potius reprobanda & reprehendenda sint. *Morosus* dicitur, cui nihil recte factum, vel dictum videtur, quod faciunt vel dicunt alii. Unde *morositas* vitium est, quo nimiam in aliorum dictis & factis exactitudo requiritur.

Honestas est virtus, qua promti sumus ad agenda ea, ad quæ agenda obligamur, & quæ jure nostro agere possumus, ad ea vero agenda, ad quæ omittenda obligamur, & quę nullo jure fiunt, committenda nos adduci minime patimur. *Inhonestas* autem est vitium, quo quis promtus est, ad ea agenda, ad quæ non agenda obligatur, quęque nullo jure facere potest, & ad non agenda, ad quæ agenda obligatur. Hinc *honeste vivere* dicitur, qui actiones suas liberas omnes etiam citra respectum ad jus perfectum alterius ad normam legis naturalis componit, hac sola de causa, quod sic determinate eidem conveniant. Sed *inhoneste*, qui actiones suas legi naturali contraria

ria ratione determinat, consequenter, qui vitiis deditus est.

Defendere se dicitur, qui lædere intendenti seu conanti resistit, ne scilicet lædere possit, aut ut læsionem, quantum in se est, avertat. Unde *defensio* est actio, qua resistitur læsionem intendenti, consequenter aliquid agenti, seu nunc agere volenti, quo nos lædat. *Verbalis* est, qua famam atque existimationem adversus calumniam verbis defendimus. At *realis*, qua eamdem defendimus factis, quibus contrarium probatur. *Aggressor* dicitur, qui te lædere conatur. *Medium se defendendi lenius* dicitur, quibus minus malum infertur aggressori, *durius*, quibus infertur majus. *Lenissima* sunt, quibus malum nullum actu infertur.

Obligatio dandi pœnam læsionis suæ *reatus* dicitur. Hinc *reus* appellatur, qui ad pœnam patiendam meretur, consequenter qui eamdem meretur; *innocens* vero, qui nullo facto suo pœnam meruit.

Status hominum, in quo unus jus suum vi persequitur adversus alterum, *bellum* dicitur. Itaque *jus belli* est jus persequendi jus suum adversus eum, qui idem tribuere nobis non vult. *Belli causa justa* dicitur, ob quam bellare licet, *injusta* vero, ob quam bellare non licet. Si bellum justam habet causam, *justum*, *injustum* vero dicitur, cujus causa justa non est, seu injusta. *Rationes belli* sunt *justifica*, quæ desumuntur a jure ad bellum in dato casu competente, seu quibus evincitur, jus ad bellum in casu dato nobis competere; *suasoria*, quæ desumuntur ab utilitate, seu, quibus evincitur, e re nostra esse, ut bellum suscipiatur; *quasi justifica*, quæ si rite expendantur, a jure alienæ deprehenduntur. Est *publicum*, quod geritur inter gentes, seu auctoribus illis, qui summum imperium habent; *privatum*, quod privatus cum privato propria auctoritate gerit, vel

 quod

quod a privatis pluribus propria auctoritate cum privatis pluribus geritur; *mixtum*, quod una ex parte publicum, ex altera privatum est; *defensivum*, quo quis se defendit adversus eum, qui ipsi bellum infert; *offensivum*, quod infertur alteri, qui de bello inferendo non cogitabat; seu si quis armis alterum adoritur; *punitivum*, quo pœna sumitur ab altero; *vindicativum*, quo id, quod nostrum est, vel nobis debetur, consequi studemus; *civile*, quo justa arma adversus rectorem civitatis sumunt subditi.

Deum blasphemari dicitur, qui quid dicit, vel facit in contemtum seu contumeliam Dei. Unde *blasphemia* dictum, vel factum est quodcumque in contemtum Dei, vel contumeliam vergens. Si consistit in actibus internis, seu in cognitionibus subsistit, *cordis*; si prodit per verba, *oris*; si denique per facta prodit; *operis* vocatur. Potest quoque *in directam*, qua ex intentione directa Deus blasphematur, & in *indirectam*, qua quis cogitat, dicit, vel facit, unde necessario sequitur quid honori divino adversum, dividi.

Hypocrita dicitur, qui actibus externis, præsertim verbis, voce, vultu ac gestu virtutem moralem, in primis pietatem simulat. Unde *hypocrisis* est vitium, quo virtus moralis, inprimis pietas actibus quibusdam externis, presertim verbis, voce, vultu ac gestu simulatur, abs qua tamen actus interni procul absunt.

Obedire dicitur, qui actionem suam ad alterius voluntatem componit, seu qui promte facit, quod qui imperandi jus habet, vult, & non facit, quod non vult. Unde *obedientia* est promtitudo actionem suam ad alterius voluntatem componendi seu faciendi, quod vult, & non faciendi, quod non vult, qui impetrandi jus habet. *Inobediens* dicitur, qui actiones suas ad alterius voluntatem componere non vult, seu qui facere non vult, quod debet, seu quod vult alter, cui jus est ipsum ad hoc

hoc faciendum obligandi, & ex adverso facit, quod facere non debet, seu quod non vult alter, cui jus est ipsum ad hoc non faciendum obligandi. Unde *inobedientia* est vitium, quo quis non facere vult; quod debet seu quod vult alter, qui imperandi jus habet, & ex adverso facit, quod facere non debet, seu quod alter non vult, cui jus est imperandi; seu noluntas actiones suas ad alterius voluntatem componendi.

Amor Dei est dispositio animæ ex summa ejus perfectione voluptatem maximam percipiendi. Dicitur autem *amor complacentiæ*, qui in sola voluptatis perceptione seu delectatione ex perfectione alterius terminatur.

Sollicitudo animi nil faciendi, quod voluntati alterius adversum; seu ne quid faciat, quod alter a se fieri non vult, & ne facere omittat, quod fieri vult, *timor filialis* dicitur; *servilis* vero, si quis metu pœnæ adactus facit; quod vult alter, vel non facit; quod is a se fieri non vult.

Magnificatio Dei actionibus externis declarata *reverentia*; *Ehrerbietigkeit*; *Ehrfurcht* dicitur.

Deo confidere dicitur, qui, cum pro certo habeat, eum providentia sua tantumdem boni in se collaturum, & tantumdem mali a se aversurum, quantum salva sapientia ipsius fieri potest, &, si qua ipsi obventura sint mala, in bonum finem directurum, se totum resque suas providentiæ divinæ committit; *diffidere*, qui, cum pro certo habere nolit, fore, ut Deus providentia sua tantumdem boni in se conferat, & tantumdem mali a se arceat, quantum salva sapientia ipsius fieri potest, & ut mala, quę ipsi eveniunt, dirigat in bonum finem, providentiæ divinæ se totum resque suas committere recusat; verum *nimium confidere*, qui sibi persuadet, se citra usum facultatum suarum aliorumque mediorum consecuturum tantumdem boni, & evitaturum tantumdem mali, quantum boni Deus in eum conferre, & quantum ma-

li ab eo arcere decreverit, & *Deo*, qui sibi persuadet, ab immutabili Dei decreto omnia ita dependere, ut homini circa bona consequenda, mala avertenda sit relictum, aut Deum in tempore decernere, prout casus tulerit, aut absoluta potentia exequi quid decrevit. Unde *fiducia in Deo* virtus est, qua homo meliora sperans se totum resque suas providentiæ committit; *diffidentia* vitium, quo homo meliora desperans se totum resque suas committere non vult providentiæ divinæ; *nimia* vero *de eo confidentia* separatio usus facultatum suarum aliorumque mediorum a fiducia in Deo. *Sibi nimium confidere* dicitur, qui solo usu facultatum rerumque suarum bona futura se consequi, mala vero avertere posse sibi persuadet, nihil prorsus providentiæ divinæ relinquens. Unde intelligitur, quid sit *nimium confidere hominibus, vel rebus aliis*. Quam ob rem *nimia confidentia de se, hominibus, vel rebus aliis* est vitium, quo quis solo usu facultatum suarum rerumque ac hominum auxiliis bona futura se consequi, aut mala arcere posse sibi persuadet, quasi nullę sint in illo consequendo, in hoc arcendo providentiæ divinæ partes. *Eventus dubius* dicitur, quem prævidere non licet, qualis sit futurus.

In providentia divina acquiescere dicitur, qui, quidquid a Deo fit, vel permittitur in hoc universo, id recte ab eo fieri pro certo habet, huicque judicio convenienter appetitum, & aversationem moderatur. Unde *acquiescentia in ea* est virtus, qua appetitum, & aversationem moderamur ex sensu certitudinis de rectitudine actionum divinarum in gubernatione hujus universi tam positivarum quam privativarum.

Deum seu *nomen divinum celebrare* dicitur, qui attributa divina, & opera prædicat. Celebratio nominis divini ob bona nobis aliisque collata, vel mala aversa ac sublata, cum significatione voluntatis præstandi debita officia *gratiarum actio* est.

Virtus

Virtus, qua ob bona nobis collata, vel mala depulsa præstatione officiorum promta eidem placere studemus *gratitudo erga Deum*, *ingratitudo* vero vitium est, quo homo bonitatem divinam agnoscere non vult, aut ea non obstante pro suo potius arbitratu, quam juxta voluntatem numinis actiones suas determinare mavult.

Per *desiderium*, actum intelligimus voluntatis, quo vehementer volumus, ut quid fiat. Desiderium boni præsentia a Deo conservandi, & futuri ab eodem conferendi malique depellendi, aut in finem bonum dirigendi vocatur *invocatio numinis*, aut *invocatio mentalis*.

Oratio seu *preces* dicitur sermo, quo ea, quæ Deum invocantes eidemque gratias agentes cogitamus, verbis ore prolatis significamus, vel quo internum animæ statum in invocatione numinis ac gratiarum actione verbis exprimimus. *Supplicatio* dicitur oratio, qua Deus invocatur, ut malum absens avertet, aut a præsenti nos liberet. *Precatio* oratio, qua Deum invocamus, ut bonum præsens conservet, & in futurum nobis bona conferat. *Gratiarum actio* oratio, qua Deo gratias agimus ob bona nobis collata, vel mala a nobis depulsa. *Interpellatio* oratio, qua Deum invocamus, ut aliis bona sua conservet, & in futurum conferat; mala vero ab iis avertat, aut a præsentibus nos liberet, & pro bonis ipsis collatis, vel malis ab iisdem depulsis gratias agimus. *Concio* oratio, qua in cultu divino publico de Deo, & voluntate ipsius præsentes instruuntur. *Formula precum*, sive *orationis* sunt orationes ab aliis compositæ, quibus instruimur, ad Deum precandum,

NOT. Vid. FRID. ANDR. VVALTERI diss. de cultu Dei orali, Gotting. 1748.

Garrire dicitur, qui multa verba inania profert. Hinc oraturus garrit, si verba, quæ profert, non intelligit, vel ad ea non affert attentionem, quæ ad

eorumdem intellectum sufficit, vel etiam de veritate eorum quae iisdem significantur, quod se convictus non est.

Deo vivere dicitur, qui non modo actiones suas omnes per voluntatem numinis, sed, & per attributa determinat.

Cultus divinus internus est, qui in actibus internis seu facultatum animae consistit, *externus* vero, qui motu organorum corporis perficitur. Est *privatus*, quo unusquisque solus per se colit Deum, *publicus*, si plures in eodem loco cohabitantes conjunctim Deum colunt, *domesticus*, si paterfamilias cum suis Deum conjunctum colit.

Glorificationis Dei externae nomine veniunt omnes actus externi actibus cultus interni respondentes.

Per *hymnos* intelligimus carmina, quibus nomen divinum celebratur, Deus actu externo invocatur, eidemque gratiae aguntur.

Superstitiosus dicitur, qui, actiones committit, quae per erroneas de Deo, & providentia ipsius opiniones quoad ea, quae homini bona, vel mala evenire possunt, determinantur. Unde *superstitio* est vitium, quo agens committit actiones erroneas de Deo, & providentia divina quoad homini bona, vel mala opiniones determinatas.

SCHOL. Vid. NIC. PRID. ENGEL diss. de superstitione statui civili, & ecclesiastico valde nociva, Jen. 1741. GEORG. HENR. RIBOU I. diss. de superstitionis, qua differt ab idololatria, moralitate, Gotting. 1751.

Falsi dii dicuntur entia, quae finguntur esse dii, cum non sint. At *idola* sunt non entia per simulacra repraesentari solita, quae dii esse finguntur. Unde *idololatria* sensu latiori dicitur cultus divinus omnis exhibitus iis, qui Deus non sunt, & *idololatria*, qui falsis diis, vel idolis, vel enti cuique, quod Deum esse noo opinatur, eum praestat cultum, qui soli Deo vero convenit.

Jus rerum dicitur, quod homini competit respectu rerum.

Jus commune vocamus jus idem, quod pluribus simul competit, *proprium* vero, quod uni cuidam homini in singulari soli competit. Jus commune rei ejusdem, hoc est, jus idem pluribus simul respectu ejusdem rei competens *communio rei* est. Hinc *res communes* dicuntur, ad quas pluribus idem jus competit; *res* autem *singulares*, aut, si mavis, *res singulorum*, ad quas jus proprium cuidam competit, hoc est, ad quas homini cuidam in singulari soli jus aliquod competit. Contra *res nullius*, ad quas nemini hominum competit jus proprium.

Rerum omnium corporalium communio natura toti humano generi competens *communio rerum primæva* dicitur. *Turbator illius* est, qui vi impedire conatur, sive per se, sive per alios, quo minus quis rebus uti possit, prouti ipsi opus fuerit.

Usum rerum necessarium appellamus eum, qui ad hoc requiritur, ut obligationi nostræ naturali satisfaciamus.

Res usu consumi dicuntur, quarum nullus fieri potest usus, nisi intereant, *destrui* vero, quæ facto quodam nostro intereunt.

Res una dicitur *incorporari rebus aliis*, si eidem juri subjicitur, cujus sunt cæteræ.

Vita simplex dicitur, in qua homines rebus pure naturalibus maxima saltem parte contenti non appetunt cibum, & potum, nisi quatenus ad famem explendam, & sitim restinguendam sufficit, nec veste utuntur, nisi quæ contra injurias tempestatum eos defendit, aut in climate mitiori nudi incedunt, nec nisi in casis humilibus ac tuguriolis quiescunt.

Prima natura dicuntur ea, ad quæ animalia sua natura feruntur.

Communio negativa dicitur, in qua res communes sunt nullius.

Per *universitatem* intelligimus multitudinem

hominum certo finem consociatorum. *Consociari* autem dicuntur, qui in eumdem finem conjunctim persequendum consentiunt.

Jus proprium disponendi de re pro arbitrio suo, prouti scilicet visum fuerit, *dominium* appellamus. Ideo in cujus dominio est res, *dominus; non dominus* autem dicitur, in cujus dominio non est.

Communio positiva est, in qua plures in re divisa dominium omnibus conjunctim competens pro parte rata habent; *mixta* vero, in qua res quidem sunt in dominio universitatis, omnibus tamen non competit nisi usus earumdem indifferenter, prouti scilicet unicuique opus fuerit.

Jus disponendi de ipsa substantia rei *proprietas*, *proprietarius* vero appellatur, cui proprietas in re aliqua competit. *Res*, in quibus jus proprietatis habemus, *propria* dicuntur.

Jus disponendi de quolibet rei usu pro arbitrio suo dicimus *jus utendi*, jus autem disponendi de quolibet rei fructu pro arbitrio suo, *jus fruendi*, jus utendi, & fruendi conjunctim, omissa conjunctione copulativa, *jus utendi fruendi*.

Dominium plenum est, quod nullo jure deminutum in dominio contento.

Res aliena dicitur, quæ non est in dominio nostro, sed dominio alterius subjecta.

Res corporales dicuntur *mobiles*, quæ de loco in locum moveri possunt salva substantia sua, *immobiles* vero, quæ salva substantia sua de loco in locum moveri non possunt.

Detentio rei tamquam suæ, sive quis eam suam esse putet, sive suam esse, & ab aliis pro tali haberi vult, *possessio* dicitur; *possessor* vero, qui rem possidet. *Possessor bonæ fidei* est, qui rem, quam possidet, putat esse suam, at *malæ fidei possessor*, qui rem, quam possidet, novit esse alienam.

Occupatio est factum, quo quis declarat rem nullius suam esse debere, & eam in hunc statum redigit,

digit, ut sua esse possit. Fit *per universitatem*, si plures conjunctim rem quamdam, veluti terrarum tractum quemdam occupant, *per fundos* vero, si singuli fundos singulares occupant.

Modus acquirendi originarius est, quo acquiritur dominium rerum nullius, *derivativus* vero, quo acquiritur dominium alicujus rei, quæ in dominio alterius existit.

Res usus inexhausti esse dicuntur, quarum usus omnibus sufficit hominibus, & iisdem patet, quoties eodem indigent.

Limites seu *termini* alii sunt *naturales*, quos ipsa natura constituit, alii *artificiales*, qui facto quodam humano constituuntur, alii *sensibiles*, qui per se in sensus incurrunt, alii *intelligibiles*, qui ex aliis in sensus incurrentibus demum colliguntur.

Res se moventes dicuntur, quæ principio quodam interno moventur ex loco in alterum.

Præsumptio est collectio probabilis rei dubiæ in casu singulari, vel ejus, quod dubium est in casu singulari.

Rem derelinquere dicitur, qui, cum sua esset, eam non amplius suam esse nude vult, parum scilicet sollicitus, quisnam eamdem suam facere velit. Hic vero actus voluntatis *animus derelinquendi* vocatur. Unde *res derelicta* vocatur, quam tuam non amplius esse nude vis.

Rem suam jactare dicitur, qui nullo urgente officio, nec necessitate ulla, sine ulla utilitate eam non vult esse suam.

Si res tuæ notas manifestas easque sufficientes alteri recensere vales, per quas eam a cæteris individuis ejusdem speciei distinguere certo potes, etiamsi ante non videris, *res tua discernibilis* est; sin minus, *indiscernibilis*. *Notæ* autem *manifestæ* dicuntur, quarum notio, vocabulo audito, statim succurrit.

Occu-

Occupatio ferarum, per silvas apertas libere circumvagantium, vel in agris & campis operantium, proprie *venatio* dici solet. Speciali nomine *piscatio* piscium occupatio, *aucupium* avium occupatio, ferarum occupatio *venatio* solet dici.

Quem ad modum *animalia fera* dicuntur, quæ hominem consuetudinem fugiunt, adeoque ex custodia, si datur, aufugiunt vel avolant, numquam reditura; ita *mansueta* seu *domestica* dicuntur, quæ hominum consuetudine gaudent, & abeunt redeuntque, vel avolant revolantque, nec longius abire vel revolare solent, *mansuefacta* vero, quorum natura fera est, sed quæ ex consuetudine abeunt, redeuntque, vel evolant revolantque, atque *habent animum revertendi*, quamdiu ex consuetudine abeunt redeuntque, vel evolant revolantque,

Res domino adhuc carentes dicuntur ἀδέσποτα, seu *res dominio vacua*, sive occupando in dominium nondum fuerunt deductæ, sive a dominis derelictæ, sive casu quodam dominio exemtæ.

Thesaurus sunt res mobiles abditæ, præsertim pretiosæ, quarum dominus ignoratur.

Species appellari solet res singularis, seu individuum certæ speciei. Hinc *speciem facere* vel *specificare* dicitur, qui ex materia aliqua facit rem certæ cujusdam speciei, sed diversæ ab ea cujus est materia. Unde & intelligitur, quid sit *specificatio*, nimirum actus, quo ex materia quadam efficitur res alterius speciei,

Accessorium dicitur, quod rei propriam formam jam habenti, vel per se certæ speciei adjicitur, ut eidem quomodocumque cohæreat vel inexistat. Unde etiam intelligitur, quid sit *accessio*, nimirum ipsa rei cujusdam ad alteram certam formam jam habenti ab ectio, ut eidem quomodocumque cohæreat vel inexistat.

Res principalis vocatur, cui alia accedit. *Accessio*, quam natura facit, *naturalis*, quam homo facit, *artificialis* appellari suevit. Addunt alii *mixtam*, ubi natu-

natura, & industria humana concurrunt, quæ ad imitationem divisionis rerum *industrialis* dici poterat.

Alluvio est accessio naturalis, qua vi fluminis fundo adjacenti, veluti agro insensibiliter adjiciuntur particulæ quædam terræ.

Species interire dicitur quando ejus forma perit, materia tamen adhuc residua; *perire* autem, sive ipsa intereat, sive ejus saltem species.

Violenta ablatio partis de fundo tuo in alienum vi fluminis aut alio casu facta *avulsio* dici solet.

Agri vel certa mensura comprehenduntur, puta per centurias & jugera, vel certis limitibus circumscribuntur, sive artificialibus, sive naturalibus, quales sunt montes, fluvii, silvæ. Illos *assignatos*; istos *limitatos*, hos *arcifinios* appellare Iubet.

Insula est terra aquis undique circumflua.

Quemadmodum hactenus per *alveum fluminis* intelleximus fossam, per quam flumen decurrit; ita *ripa* vocantur alvei extremitates, ut adeo alveus non concipiatur sine ripis, atque adeo hæ ejus sint partes. In mari *littora* dicuntur.

Quem ad modum aqua continuo fluens intra alveum *flumen* vocatur, ita; quæ non fluit, si perpetua fuerit, *lacus*, si non fuerit perpetua, *stagnum* dicitur. *Aqua* autem dicitur *perpetua*, quatenus non certo tantummodo anni tempore, sed potius quolibet fundum, quem occupat, tegit.

Inundatio dicitur; quando flumen extra ripas defluens fundos vicinos operit.

Confusio dicitur, quando duorum vel plurium dominorum materiæ liquidæ aut liquefactæ invicem miscentur, & prodeat massa quædam ex utraque mixta. Verum *commixtio*, quando arida & solida corpora duorum vel plurium dominorum ita permiscentur, ut, quæ unius sunt, distincta quidem maneant ab iis, quæ sunt alterius, omnia tamen simul totum quoddam constituant, quod *totum per aggregationem* appellarunt scholastici.

Ferra-

Ferruminatio est adjunctio, qua metalla ejusdem generis formata vel non formata, nulla alia materia interveniente consolidantur. At *adplumbatura* dicitur adjunctio, qua duæ ejusdem diversi generis res mediante alia quadam ab ipsis diversa materia coagmentantur.

Solum dicitur, quatenus homines & res alias sustinet. Ædificia in urbe *ædes*, rure *villa*, locus sine ædificio in urbe *area*, rure *ager*; ager cum ædificio *fundus*; quidquid supra solum existit eidemque cohæret, *superficies* dicuntur.

Ædificatio est constructio ædificii cujuscumque tam urbani quam rustici. Quatenus ædificium exstruitur in solo, *inædificatio* vocatur.

Plantatio dicitur, qua planta solo immittitur, ut radices in eo agat & inde nutrimentum capiat; *satio* vero, quando semen terræ committitur, ut plantæ inde progerminent.

Spatium istud intra atmosphæram; quod perpendiculariter fundo cuidam imminet *spatium atmosphæricum* appellare lubet.

Res amissa dicitur, quæ eo, qui illam habet, inadvertente in humum cadit, & eodem abeunte ibidem relinquitur.

Fructus dicuntur *naturales*, quos natura sua sponte producit, *industriales*, quos non nisi interveniente opera humana seu cultura & cura producit, *pendentes*, qui a re, ex qua proveniunt, nondum fuerunt separati; *percepti*, qui a re, ex qua provenerunt, jam sunt separati & plene collecti; *percipiendi*, quos quis percipere poterat, modo voluisset, vel si jam natos a re, ex qua provenerunt, separare non neglexisset, vel omissa debita cultura atque cura non in causa fuisset, ne nascerentur; *existentes*, quos possessor rei, ex qua provenerunt, adhuc habet; *consumti*, qui non amplius extant.

Perceptio dicitur *inchoata*, quæ ad unum vel alterum tantum modo actum processit; *consummata*, quæ nullum amplius actum requirit.

Res,

Res, quæ sunt in dominio universim non sigillatim spectatæ, nullo attento earum discrimine, generatim *bona* dicuntur; omnium bonorum, quæ quis habet, universitas *patrimonium*, *amplum*, quod multa bona continet, *tenue*, quod pauca, *dilapidare*, qui abusu illud minuit.

Res dicitur *esse in potestate nostra*, si nobis est potentia physica de ea disponendi pro arbitrio nostro, *potestati* vero *nostræ subduci*, si non amplius nobis integrum est, de ea pro arbitrio nostro disponere.

Jacturam sui facere dicendus est is, cujus potestati res quædam corporalis vel incorporalis ita subducitur, ut eam numquam recuperare possit absque voluntate sua. Jactura sua dicitur *damnum*, quod *dare* dicitur agens quod facto quodam, vel etiam non facto in causa est, ut jacturam tui facias. Est *voluntarium* sive *dolosum*, quod intentione sive directa, sive indirecta datur; *culposum*, quod non nisi culpa specialiter sic dicta datur, *casuale*, quod non nisi casu improviso, nec evitabili datur. *Resarcitur* autem, qui tantumdem restituit alteri, quantum valet res, cujus jacturam facit, seu, qui pretium rei restituit.

Ablatio rei alienæ inscio ac invito domino animo eam sibi habendi vel suam faciendi facta, *furtum* dicitur. Quod si interdiu committitur, *diurnum; nocturnum*, si noctu fit; *manifestum*, quando fur in ipso actu furandi, & res furtivas in alium locum nondum perlatas adhuc habens deprehenditur; *non manifestum*, qui in ipso furandi actu, & antequam res furtivas alium in locum pertulit, non deprehenditur. Unde patet, *furem esse*, qui furtum committit; *diuturnum*, qui interdiu furatur; *nocturnum*, qui noctu. *Res furtiva* dicitur, quæ furto ablata fuit. *Furtum usus*, quando quis inscio ac invito domino de usu rei alienæ instar domini disponit; *possessionis*, quando alicui invito possessio rei mobilis intervertitur.

Rapi-

Rapina seu *vis bonorum raptorum* est ablatio rei alienæ domino invito vi ereptæ animo eam sibi habendi, seu suam faciendi facta. Qui rapinam committit, *prædo*. Si quis, qui nullum jus possidendi habet, alterum vi possessione sua rei immobilis dejicit *invasor* dicitur & ipsum factum *invasio*: *Res rapta*; & *bona rapta* dicuntur, quæ domino invito vi erepta fuerant.

Jus rem suam vi persequendi adversus quemlibet possessorem aut quemcumque alium, qui eam in potestate habet; dicitur *vindicatio rei* vel etiam *jus rem suam vindicandi*. Qui pœnam sumit ab eo, qui ipsi injuriam fecit ob factam injuriam; *injuriam vindicare* ac *vindicatio injuriæ* est jus pœnam sumendi ab eo; qui ipsi injuriam fecit.

Locupletior factus est, qui plus habet, quam antea habebat; *re alterius*, quando res, quæ bonis ipsius superaccedit, alterius est, sive, quando quod plus habet, est res quædam alterius sive corporalis sive incorporalis; *ex re alterius*, quando id, quod plus habet, ex re alterius venit; vel ejus loco succedit.

Impensa seu *impendia* dicuntur sumtus, quos in rem impendimus, sive ejus conservandæ, sive utendæ ac fruendæ gratia, vel etiam in fructuum perceptionem; *necessaria*, quæ fiunt rei conservandæ gratia; seu quæ si factæ non sint, res aut peritura, au deterior futura sit; & sine quibus fructus percipi non potuissent; *utiles*, quibus factis res fit utilior & fructuosior, scilicet plures habeat usus pluresque ferat fructus, quod dum fit, *res meliorari* dicitur: *voluptuaria*, sive *voluptuosa*, quæ necessariæ, nec utiles sunt, aut quæ solius voluptatis percipiendæ gratia fiunt; *mixta*, si voluptuariæ insint necessariis & utilibus, illæque *prædominari* dicuntur, si magis voluptatis, quam necessitatis, aut utilitatis habetur ratio. Hinc dicitur *impensas tollere*, qui ea tollit, quæ suo sumtu

tu in re aliena facta sunt; *utiles*, qui tollit utilitatis causa factas; *voluptuarias*, qui tollit voluptatis gratia factas; *mixtas*, qui tollit necessitatis, vel utilitatis, ac voluptatis gratia factas; *sine detrimento, aut corruptione rei tolli*, quo sublato res, abs qua quid aufertur, non efficitur in se deterior; *deducere* si tanto nimis restituit, quantum valent tempore restitutionis rei.

Præmium inventionis dicitur, quod datur inventori rei amissæ, quia eamdem domino restituit.

Exercitium dominii sunt actus vi dominii domino liciti aut eidem saltem permittendi, *juris* vero in genere consistit in actibus vi juris elicitis, cui idem competit *jure suo utitur*, qui facit, quod vi juris sui facere potest; adeoque eos edit actus, qui ad exercitium juris sui pertinent.

Fundum immutat, qui certo cuidam usui destinatum alii destinat.

Jus suum in alium transfert, qui verbis vel factis sufficienter declarat, se velle ut jus, quod sibi competebat, sit alterius. Translatio dominii, quod quis in re quadam habet, in alium *alienatio rei* appellatur; *conditionata*, quæ fit sub certa conditione; *pura*, quæ fit sine ulla conditione, seu quæ conditionata non est: *Dare* idem significat, ac dominium rei suæ transferre in alium. Unde *datio* est translatio dominii, quod quis jure habet, in alterum.

Defraudare alterum dicitur, qui verbis vel factis dolosis ipsum privat eo, quod suum est, vel quod eidem debetur.

Rem defendere dicitur, qui eam rapere vel destruere conanti resistit, ne rapere vel destruere possit. Unde *defensio rei* est actio, qua resistitur vi ad eam rapiendam, vel destruendam adhibitæ. Ideo *possessionem defendere* dicitur, qui vi invasoris resistit, qua cum de possessione dejicere conatur.

Vis

Vis illa, qua quis de possessione dejicitur, vocatur *spolium*, & hinc *spoliatus*, qui possessione rei dejectus.

Jus possessionis vocatur jus possessori, vi possessione competens.

Vi possidere dicitur, qui possessorem veterem de possessione vi dejiciendo possessionem acquirit, sive is jure, sive mala fide possideret.

Qui ignorante possessore possessionem sive vi occupat, *furtive eam ingredi*, & rem *clam possidere* dicitur. Ipsa vero possessio, hoc modo acquisita, *Clandestina* appellatur.

Possessio dicitur *turbari*, si possessor impeditur in exercitio dominii ipsi permittendo quoad unum alterumve actum quocumque modo non tamen idem totum ipsi adimitur. Ideo *possessionis turbatio* est impeditio actuum quorumcumque vi possessionis possessoris permittendum quocumque modo facta; *verbalis*, quæ fit verbis; *realis*, quæ in facto quodam consistit.

Vis, qua possessio turbatur, dici solet *turbativa*; qua rei mobilis possessio alteri eripitur, *ablativa*; qua quis de possessione dejicitur rei immobilis, *expulsiva*, qua quis adigitur, ad rem tradendam, vel possessionem alteri cedendam, *compulsiva*.

Modus possessionem acquirendi originarius est, quo res, quam nemo possidet, in possessionem redigitur; *derivativus*, quo possessionem acquirimus rei, quæ in alterius possessione est.

Possessio naturalis vocatur, quæ natura possessori competit; *acqu'sita*, cujus facto quodam nostro participes reddimur; *titulata*, quæ titulum habet.

Accipere vel *acceptare* dicimur, quod ab altero offertur, si verbis vel factis, sub quibus etiam non facta comprehenduntur, sufficienter declaramus, quod dari vel fieri velimus, quod alter se dare vel fieri velle sufficienter verbis vel factis declarat.

Volun-

Voluntas expressa dicitur, quæ verbis sufficienter declaratur, *tacita* vero, quæ ex factis, vel non factis, aut alio quocumque modo colligitur. Similiter *noluntas expressa* est, quæ verbis sufficienter declaratur; *tacita* vero, quæ aliunde colligitur.

Acceptatio expressa est, quæ fit voluntate expressa; *tacita*, quæ voluntate tacita absolvitur; *præsumta*, quæ voluntate nititur præsumta.

Actus, quo transfertur possessio, dicitur *traditio*. Qui si positivus fuerit, *traditionem positivam* appellare lubet; si negativus, *negativam* etiam *quasi traditionem*. Communiter *res tradi* dicitur, & proprie quidem res corporalis, præsertim mobilis, res vero incorporalis *quasi tradi*.

Res certa dicitur, quæ sufficienter quomodocumque indigitatur, ut ab aliis sui similibus distingui possit.

Apprehensio vocatur actus, quo quis possessionem acquirit. Communiter *res apprehendi* dicitur, & proprie quidem res corporalis mobilis, immobilis vero, & incorporalis *quasi apprehendi*.

Res *brevi manu tradi* dicitur, quando actus traditionis inesse intelligitur alii cuidam actui, quo aliud quid agitur ad dominii exercitium spectans. Quod vero brevi manu traditur a transferente dominium, id ab accipiente *brevi* quoque *manu accipi*, vel *apprehendi* dicitur. *Longa manu res tradi* dicitur, quando res tradenda oculis tuis subjicitur, eo fine, ut eam apprehendas, consequenter possessionem acquiras. Unde *longa manu accipi* aut *apprehendi* dicitur, quod longa manu traditur.

Symbolum dicitur res, qua res alia repræsentatur, cujus loco adhibetur. *Traditio symbolica* dicitur, in qua symbola adhibentur, seu quæ fit per symbola; *apprehensio* vero *symbolica*, in qua symbolum aliquod adhibetur.

Præstare significatu generali idem est ac dare, & facere.

Translatio juris, quod nobis competit ad id, ad quod præstandum alter nobis obligatur, dicitur *cessio*. Hinc *jus nostrum alteri cedere* dicimur, quando idem in alterum transferimus, vel etiam id, ad quod nobis jus est. Qui jus alteri suum cedit; dicitur *cedens*; *cessionarius* vero, cui ceditur.

Jus suum remittere dicitur, qui sufficienter significat, se nolle, ut alter sibi præstet, ad quod præstandum obligatur. Unde etiam *remitti* dicitur id, ad quod præstandum alter obligatur, consequenter *debitum*, *debitor* vero, qui ad aliquod præstandum nobis obligatur.

Jus quæsitum dicitur, quod actu nobis competit.

Juri suo renunciare dicitur, qui sufficienter in gratiam alterius significat, se jus quæsitum habere nolle. Hinc *renunciatio*, & *fieri* dicitur, in cujus gratiam renunciatur.

Jus tibi deferri dicitur, quod, num acquirere velis, an nolis, in solo tuo arbitrio positum est; *jus* vero *repudiare*, qui sufficienter significat, se jus sibi delatum habere nolle; *jure* contra *suo se abdicare*, si quis sua sponte declarat, se jus quoddam in se collatum, quod ipse in alium transferre nequit, diutius habere nolle.

Operarum communicatio dicitur earumdem in usum aliorum collatio.

Rem ab alio sibi comparare dicitur, qui dominium rei, quæ alterius est, sibi acquirit.

Veritas moralis est convenientia verborum cum cogitationibus nostris, ut adeo *verum* dicat, qui ea cogitat, quæ se cogitare dicit, veluti, quod judicet hoc esse verum, quod pro vero a se haberi ait; quod velit, quod se velle, nolit revera, quod se nolle dicit. Sed *falsitas moralis* est disconvenientia verborum cum cogitationibus nostris. *Falsum* adeo loquitur, qui aliter cogitat, quam se cogitare dicit; veluti si hoc dicat esse falsum, quod pro vero habet, vel si judicet esse verum, quod

pro

pro falſo a ſe haberi ait, ſi velit; quod ſe nolle; vel nolit, quod ſe velle adfirmat. *Veriloquium* eſt ſermo moraliter verus; at *falſiloquium* ſermo moraliter falſus.

Verax dicitur; qui verum moraliter loquitur; quando alteri animi ſui ſenſa indicare tenetur. Quam ob rem *veracitas*, quæ; & *veritas* dicitur, virtus eſt; qua quis moraliter verum loquitur; quotieſcumque alteri animi noſtri ſenſa indicare tenemur. Contra *mendax* dicitur; qui moraliter falſum loquitur, quando alteri animi ſui ſenſa indicare tenetur. Quam ob rem *mendacium* vitium eſt; quo moraliter falſum loquitur ad animi ſui ſenſa alteri indicanda; ſeu ad moraliter verum dicendum obligatur, conſequenter; quum ſermo moraliter falſus falſiloquium ſit; *mendacium*, quatenus ſumitur pro actu, non pro habitu, eſt falſiloquium pugnans cum obligatione, qua tenemur alteri ad animi noſtri ſenſa ſignificanda. Ideo *mentiri* dicitur; qui moraliter falſum loquitur; quando ad verum loquendum; ſeu alteri animi ſui ſenſa ſignificandum obligatur; *ambigue* vero *loqui*, qui utitur verbis, quæ ex communi uſu loquendi plures admittunt ſignificatus.

Allegoria eſt ſermo conſtans vocabulis; quæ a ſignificatu proprio ad aliud quiddam ſignificandum transferuntur propter rerum ſimilitudinem. Allegoria obſcurior, cujus ſignificatum non niſi divinando aſſequi datur; *ænigma* appellari ſolet. Poteſt etiam definiri, quod ſit allegoria; in quibus improprius verborum ſignificatus ambiguus videtur.

Verba aperta dicuntur, quæ ore proferuntur; ut auditu percipi poſſint; vel ſcribuntur, ut legi poſſint; *tacita* vero, quæ mente reſervantur; ut adeo ea non percipiat, niſi loquens.

Reſervatio mentalis eſt ſermo moraliter verus, conſtans verbis partim apertis, partim tacitis, ita ut illa ingerant animo audientis falſam opinionem, hæc

vero illorum sensum detorqueant in verum huic contrarium.

Signa occulta dicuntur, quorum significatio non constat nisi iis, qui ex compacto ad nonnulla sibi mutuo significanda utuntur; *manifesta* vero, quorum significatus vulgo notus est, & quibus communiter utimur ad res certas alteri significandas.

Manifeste loquimur, vel scribimus, si signis manifestis utimur ad animi nostri sensa significanda; *occulte* vero, quando signis occultis utimur ad animi nostri sensa significanda, vel ex compacto verba manifesta, animi nostri sensa significantia, certa lege inter verba manifesta alia ita disponimus, ut nonnisi ei, ad quem scribimus mens nostra patefiat. Ars occulte loquendi *cryptologia*, occulte vero scribendi *cryptographia* dicitur.

SCHOL. Vid. CHR. BREITHAUPTI ars decifratoria seu scientia occultas scripturas solvendi, & legendi, præmissa disquis. historica de variis modis occulte scribendi tam apud veteres quam recentiores usitatis, Helmst. 1737. DAN. ARN. CONRADI cryptographia denudata, seu ars deciferandi, quæ occulte scripta sunt in quocumque linguarum genere, præcipue in Germ. Bat. Lat. Angl. Gall. Ital. Græca, Lugd. B. 1759.

Taciturnus dicitur, qui tacet, quando ad veritatem reticendam obligatur. Ideo *taciturnitas* virtus est, qua veritatem reticemus, quando ad eam reticendam obligamur.

Damnosum dicitur, ex quo damnum aliquod quomodocumque consequitur, & *ei damnosum*, qui ideo damnum aliquod patitur.

Arcanum dicitur, quod ab aliis ignorari volumus, vel etiam velle debemus Ideo *arcana sua alteri committere*, qui ea ipsi sub spe, vel fide silentii, hoc est, sub conditione vel tacita, vel expressa, ne dicat aliis, patefiat, *prodere* autem *alterius arcana*, qui sibi commissa nota facit aliis.

Verba.

Verba temeraria seu otiosa dicuntur, quæ nullo fine proferuntur, *temeraria* vero *facta*, quæ nullo fine committuntur. Hinc *temere loqui* dicitur, qui nullo fine intento loquitur, hoc est, non alia de causa, quam ut loquatur, at *temere quid facere*, qui nullo fine facit.

Futilis dicitur, qui silere tacenda nequit. Hinc *futilitas* est vitium, quo tacenda loquimur, consequenter arcana, vel propria, vel commissa effutimus.

Jactare se dicitur, qui existimationis affectandæ causa multa de se, sive vera, sive falsa dicit. Hinc *jactantia* vitium est, quo existimationis affectandæ causa multa quis de se, sive vera sive falsa dicit.

Serium dicitur id, ad quod dicendum, vel faciendum ratio quædam nos urget. Unde *verba seria*, quæ cum animi nostri sensis, & *facta seria*, quæ cum actione interna conveniunt.

Quando factis significamus, quod verbis indigitari solet, *facta verbis æquipollere* dicitur. Verba & facta iisdem æquipollentia non seria dicuntur *joci*; facta vero cetera non seria *ludi*.

Sincerus dicitur, cujus actiones externę cum internis consentiunt. Unde *sinceritas animi*, vel *moralis* est habitus actiones externas internis conformandi seu consistit in consensu actionis externæ legi naturæ conformis cum eidem conformi interna, ut *physica* in consensu actionis externæ cum interna voluntate in primis ac intentione agentis, qualiscumque sit tandem actus.

Fallere alterum dicitur, qui verbis, vel factis alterum inducit, ut pro vero habeat, quod non est. Hinc *simulatio* definiri potest per factum, quo alium fallere intendimus, & vicissim *falsiloquium* per sermonem, quo alterum fallere intendimus.

Qui sufficienter declarat, se aliquid alteri præstare seu dare, vel facere velle ac in ipsum jus trans-

fert a se exigendi, ut præstet, seu det, vel faciat, is ei quid *promittere* dicitur. Itaque *promissio* est declaratio voluntatis nostræ de quodam alteri præstando conjuncta cum juris a se exigendi, ut præstetur, in ipsum translatione. Qui alteri quidpiam promittit, seu declarat, velle sese alteri quid præstare, adeoque, vel dare, vel facere, & transferre in alterum jus exigendi, ut hoc præstet, sive det vel faciat, *promissor* dicitur, *promissarius* vero, cui quod promittitur.

Si quis alteri sufficienter declarat, velle sese eidem quidem præstare, & in hoc proposito sese perseveraturum, jus tamen a se exigendi id, nisi præstet, non transfert, eidem quid *polliceri* dicitur. Ideo *pollicitatio* est declaratio sufficiens voluntatis suæ de præstando quidpiam alteri ac perseverantiæ in proposito suo, sejuncta a translatione juris præstationem exigendi, si quod pollicetur præstare nolit. Qui alteri quid pollicetur, *pollicitator* appellatur; is autem, cui quid pollicemur, peculiare nomen non habet.

Assertio nuda præstandi est sufficiens declaratio voluntatis nostræ, quæ nobis nunc est, alteri quidpiam præstandi, seu dandi, vel faciendi, sejuncta ab animo in hac voluntate perseverandi.

Animus deliberatus dicitur actus voluntatis, qui fertur in id, quod probe expensum decernitur. Ex adverso *animus indeliberatus* actus voluntatis, qui fertur in id, quod nondum probe expensum decernitur. Hinc *animo deliberato fieri* dicitur, quod quis ante probe expendit, num potius sibi faciendum, quam non faciendum, & quomodo facere velit, antequam faciat. At *indeliberato animo fieri*, quod quis facit, antequam satis expendit; num id sibi potius faciendum, quam non faciendum sit, & quomodo facere velit, vel id fieri debeat.

Jus externum dicitur, quod oritur ex obligatione externa, *internum* vero, quod ex interna;

Im-

Imperfecte debitum dicitur, ad quod tibi non nisi jus imperfectum, *perfecte* autem *debitum*, ad quod tibi jus perfectum est.

Impune agere dicitur homo, quando ipsi ab aliis permittendum, ut agat, quamvis naturaliter ad contrarium obligetur. Unde *impunitas agendi* est libertas ab omni vi coactiva ad agendum contrarium, & a pœna ob actionem perpetratam.

Promissum servare dicitur, quando verbis promissor addit factum, hoc est, quando dat, quod se daturum esse dixit, & facit, quod se facturum esse dixit, vel in genere, quando præstat, quod se præstiturum affirmavit.

Jus certum dicitur, quod num nobis competat, demonstrari potest, *incertum* vero, quod, num nobis competat, demonstrari nequit.

Demonstratio juris acquisiti alicui competentis appellari solet *deductio*.

Furiosus dicitur *habere lucida intervalla*, quando ad tempus furor omnis cessat, nec actus facultatis imaginatricis, & ratiocinatricis depravantur. Ideo *lucida intervalla furiosi* ea temporis spatia sunt, in quibus actus facultatis imaginatricis, & ratiocinatricis reliquo tempore depravati rite sese habent.

Promissio conditionata dicitur, quæ fit sub certa conditione, sive expressa, sive tacita, ex circumstantiis facile colligenda, hoc est, quando promissor supponit, hoc vel illud esse, fuisse aut fore; *prava* vero, quæ nullam conditionem supponit.

Spes suo scilicet tempore *jus excitatura* dicitur, quæ jus jam continet certum quidem in se, sed incertum respectu sperantis.

Conditio impossibilis est, quæ exstare non potest seu quæ consistit in eo, quod per rerum naturam, minime fieri potest, vel quia tales causæ minime existunt; quarum vires eidem producendo sufficiunt, vel quia tali causæ tribuuntur, quæ eidem repugnant, aut ejus vires excedunt; *possibilis*, qualem

extare non repugnat, seu quæ tale quidpiam est, quod per rerum naturam fieri potest, vel quia tales causæ existunt, quarum vires eidem producendo sufficiunt, vel quia tali causæ tribuuntur, quæ vires ejus minime excedunt; *casualis*, quæ a casu, vel fortuna, aut arbitrio hominis juri nostro minime subjecti tota pendet; *potestativa seu promiscua*, quæ ab arbitrio promissarii, vel promittentis etiam subinde dependet; *mixta*, quæ ut extet, partim ab arbitrio promissarii, vel promissoris etiam, partim a casu dependet; *suspensiva*, quæ actus perfectionem differt, donec certum fuerit, eam existere; *resolutiva*, quæ actus jam perfecti durationem ad illud tempus restringit, quo rem eam extare certum est; *negativa*, quæ supponit aliquid non esse, vel non fuisse, vel non eventurum; *turpis* seu *moraliter impossibilis*, quæ supponit abs te fieri debere, quod lege prohibetur; *honesta*, quæ supponit abs te fieri debere, quod lege non prohibetur, seu quod licitum est, seu, quæ in facto honesto consistit.

Reus promittendi dicitur, qui alteri promittit; *stipulandi*, qui quid sibi promitti petit; *debendi*; qui alteri quod debet, seu ad dandum, vel faciendum obligatus est.

Promissio dicitur *in diem facta*, quando quid dare vel facere promittis certo die.

Conditio vel res quæcumque alia dicitur *caussam dare promisso*, si ea contineat rationem unicam, cur promissio facta fuerit, alias non facta fuisset.

Præstatio continuari dicitur, si per certum temporis intervallum non interrupta durat; *repeti*, si certo tempore denuo fieri debet. Unde etiam intelligitur, quando *repetitio continuetur*, nimirum, si præstatio, quæ certo tempore iterum iterumque fieri debet, per aliquod temporis intervallum durare debet, vel si præstatio iteranda per certum tempus continuanda.

Obligatio perpetuari dicitur, quæ toto aliquo temporis

poris intervallo se exerit, ita ut toto illo tempore tibi competat jus alterum cogendi, ut eidem satisfaciat, nisi eidem satisfacere sponte sua velit.

Personale in genere dicitur, quod personæ cuidam ita inhæret, seu competit, ut ab ea in aliam nullo modo transire possit. *Jus personale* igitur, quod ad personam, cui competit, ita restringitur, ut ab ea in aliam transferri non possit.

Promissio personalis est, quæ restringitur ad personam promissarii ita ut promissor nemini obligatus esse velit nisi promissario. Confertur autem promissio in personam promissarii vel expresse, vel tacite, quando ex materia promissi aliisque circumstantiis colligitur; quod promissor nemini nisi promissario ad præstationem velit esse obligatus; *realis* vero, quæ personalis non est, consequenter quæ ad personam promissarii non ita restringitur, ut promissarius nemini ad præstationem obligatus esse velit, nisi promissario, rei magis, quam personæ habita ratione, *mere liberalis* seu *benefica*, quando promissarius ad nihil vicissim præstandum sese obligat; *non mere liberalis* seu *onerosa*, si promissarius ad aliquid vicissim præstandum sese obligat.

Conditio potestativa adimpleri dicitur *in forma specifica* si præcise hoc fiat, quod promissor a promissario fieri vult, seu in genere, si is, qui eam adimplere debet, præcise hoc faciat, quod fieri debere dicitur, eadem vero *per æquipollens adimpleri*; si quid aliud fiat, quod ei, cujus interest, adimpleri, conditionem, æque aut magis utile, habito respectu ad finem, quem intendit.

Si quid promittitur eum in finem, ut quid fieri vel præstari possit a promissario, finis, propter, quem promissor promissario quid præstare vult, dicitur *modus*, & *promissio modalis*; *modus* vero *impleri*, quando hoc fit, quod ut fiat, aliquid præstatur.

Si

Si tu ad aliquid præstandum mihi jam obligaris, & ego tibi quod promitto, ut præstes, *promissio* fieri dicitur *ob causam ante debitam*.

Onus promissionis adjicere dicitur promissor, quando promittit sub hac conditione, si promissarius vicissim quid sibi vel alteri præstet, vel modus etiam in tali præstatione consistit.

Si promissio sit invalida, postea vero valida efficitur, *convalescere* dicitur.

Si promissor declarat, sese ex promisso teneri nolle, *promissionem revocare* dicitur.

Pœnitentia impediri dicitur, quando eidem in jure nullus relinquitur locus, *impeditur* vero quando voluntatem mutare non amplius licet.

Pœna dicitur, *adjici promisso*, quando reus promittenti declarat, se hoc daturum vel facturum, nisi steterit promisso, & *promissio*, quę pœnam adjectam habet, *pœnalis* dicitur; quod vero pœnę loco promittitur, *pœnale promissum*.

Lucrum dicitur res, quę bonis nostris superaccedit, iisdem non deminutis, seu, qua fimus locupletiores. Est *certum*, quando certo constat, nos id obtinere posse, seu obtenturos esse, *incertum* vero, quando certo non constat, nos id obtinere posse, seu obtenturos esse. *Ejus quantitas incerta* est, si satis quidem constat, nos aliquod obtenturos esse lucrum, vel obtinere posse, non tamen satis constat, quanti id sit. *Lucrum cessat*, si quando id obtinere poteramus, impedimur, quominus obtineamus. Damnum emergens & lucrum cessans communi nomine appellatur *id, quod interest*. *Ad id, quod interest, teneri* dicitur, qui obligatur, alterum restituere in eum statum, quo perinde est, ac si ipse fecisset, vel etiam dedisset, quod non fecit, vel non dedit, aut, si non fecisset, vel etiam non dedisset, quod fecit, vel dedit.

Mora est dilatio juris, quod fieri debet, ultra tempus, quo fieri debebat. Unde *in mora esse* dicitur

is,

is, qui, quod certo tempore facere debet ac potest, eodem non facit; *moram non ferre*, quod in aliud tempus diferre nequit, seu statim fieri debet; *sine mora fieri*, quod statim fit vel eo, quo fieri debet, tempore, immo ante diem; *sine mora ulteriori fieri*, quod, etsi dilatum ultra tempus, quod fieri debebat, non differtur diutius: *moram indulgere*, qui in dilationem sive tacite, sive expresse consentit; *de mora se purgare*, qui demonstrat, se in mora non esse.

Si tu efficere nullo modo potueris, ne impedimentum sese offerat, seu in causa non es, cur tibi objiciatur, *inevitabile*, sin vero oblatum tollere minime potes, *insuperabile impedimentum* vocatur.

Insolidum teneri dicitur, qui, quod pluribus præstandum est, vel a pluribus, totum uni præstare tenetur vel solus.

Si duo vel plures simul eamdem rem promittant uni, vel pluribus conjunctim, ita ut ipsi singuli teneri velint in solidum, *correi promittendi*, & quatenus eamdem rem uni vel pluribus in solidum debent, *correi debendi* dicuntur. Similiter si pluribus conjunctim promittitur res eadem, ita ut singulis in solidum teneatur promissor, qui ita sibi promitti stipulati sunt, *correi stipulandi*, aut ubi hoc modo pluribus conjunctim ultro eadem res promissa, vel ex alia causa idem debetur, ii *correi credendi* appellantur.

Convenire inter se dicuntur, qui una idem decernunt. Unde *conventio* est actus, quo duo vel plures idem decernunt.

Minister dicitur is, per quem consensum nostrum alteri significamus. Unde *minister permittendi* est, per quem alteri quod promittimus, vel promissionem a nobis factam significamus. In genere *ministrum obligationis contrahendæ* appellamus per quem obligationem contrahi volumus sive ex parte nostri, sive ex parte alterius, aut obligatio contracta significatur

catur; *ministrum* vero *acceptandi*, per quem acceptationem nostro nomine fieri volumus, seu, qui nostro nomine acceptat, quod datur vel promittitur, aut acceptationem ab alio factam nobis significat.

Jus in alterum collatum revocari dicitur, quando, qui contulit, declarat, id ipsi competere non debere.

Fides dicitur constantia voluntatis alteri verbis declarata, de eo, quod facere vel dare velimus. Hinc *fidem dare* dicitur, qui affirmat, se, quod dicit, se præstiturum, præstare velle, vel alterum certum esse jubet de veritate dictorum; *servare*, qui, quod se præstiturum dicit, præstat; *fallere*, qui non præstat, quod se prestiturum dixit; *alterum adstringere*, qui ipsum obligat ad fidem servandam.

Perfidus dicitur, qui contrarium ejus facit, ad quod faciendum fidem suam adstrinxit. Hinc *perfidia* est vitium faciendi contrarium ejus, ad quod faciendum quis fidem suam adstrinxit.

Jus in re seu *reale* dicitur, quod in rem ipsam nobis competit; *ad rem* vero, quod nobis competit respectu ejus rei, ad quam præstandam alius nobis obligatus est. Quod si quis ad rem quamdam præstandam tibi tantummodo imperfecte obligatur, jus, quod tibi respectu illius rei competit, *jus ad rem imperfectum* dicendum.

Pactum sive *pactio* est conventio, qua duo vel plures in eamdem vel easdem promissiones consentiunt. *Expressum* est, quod consensu in idem promissum, vel eadem promissa, expresso fit; *tacitum*, quod fit consensu tacito; *purum*, quod promissiones non nisi puras continet; *conditionatum*, quod promissiones conditionatas continet; *in diem factum*, si promissiones in diem factas continet; *mixtum*, quod promissiones alias puras, alias conditionatas & in specie in diem factas continet; *personale*, quod ad personas paciscentium restringitur, ita ut non nisi

ſi una alteri pro ſe obligata eſſe velit ad præſtationem, de qua conventum eſt; *reale*, quod ad perſonas paciſcentium eo modo non reſtringitur, ſed in quo non tam perſonarum paciſcentium, quam rerum præſtandarum habetur ratio; *temporarium*, cujus duratio ad certum temporis intervallum reſtringitur; *æternum*, quod numquam finiendum, ſeu cujus duratio perpetua eſſe debet, hoc eſt, quamdiu extiterint ex utraque contrahentium parte aliqui, in quos obligationes & jura, quæ pacto inſunt, tranſmitti poſſunt; *adfirmativum*, quo convenitur de præſtandis, *negativum*, quo convenitur de non præſtandis. *Pactum renovari* dicitur, ſi paciſcentes inter ſe conveniant, quod idem ultra terminum, qui ipſi præfixus fuerat, per certum temporis intervallum adhuc continuari debeat. Unde *renovatio pacti* eſt conventio de pacto, cujus finis inſtat, vel adeſt, per certum temporis intervallum adhuc continuando. *Pactum diſſolvi* dicitur, vel etiam *ſolvi*, ſi contrahentes ab obligatione, qua ſibiinvicem tenentur ex pacto, liberantur.

Conventiones, quibus perfectæ producuntur obligationes, *contractus* appellantur.

Petere idem eſt ac velle, ut imperfecte debitum nobis præſtetur; *exigere* idem ac velle, ut perfecte debitum nobis præſtetur: *rogare* idem ac velle, ut alter ſignificet, utrum imperfecte debitum nobis prçſtare velit nec ne; *cogere* denique aut *compellere* idem eſt, ac vi adigere alterum ad perfecte debitum prçſtandum, qui exigenti id denegat.

Conditio per ſe ineſſe dicitur *promiſſioni vel facto*, ſi ſine ea præſtatio ejus, quod promiſſum, vel de quo conventum eſt, concipi nequit.

Ad diem fieri promiſſio dicitur, ſi prçſtatio ejus quo promittitur, certo tempore fieri debet.

Præſtationes mutuæ dicuntur, ſi unus quid alteri prçſtat, & alter viciſſim ideo ipſi prçſtare debet,

non

non mutua, quando unus quidem alteri præstare tenetur, alter tamen ideo eidem non vicissim quid præstare debeat.

Asseverare idem est ac conscientia sua teste uti veritatis doctorum; ut adeo *asseveratio* sit probatio veritatis dictorum per conscientiam testem; *nuda*, quæ verbis constat nonnisi certitudinem veritatis dictorum significantibus; sine pœna adjecta; *pœnalis* vero, quæ pęnam adjectam habet; *pœna adjici* dicitur *asseverationi*, si asseverans declarat, velle sese, ne inposterum quidquam sibi credatur; aut ne habeatur pro viro honesto, vel mali quidpiam sibi fiat, nisi moraliter verum loquatur.

Jurare dicitur, qui Deum invocat testem veritatis dictorum, & vindicem mendacii ac perfidiæ, ut adeo *juramentum* sit invocatio Dei tamquam testis de veritate dictorum, & vindicis mendacii ac perfidiæ. Juramentum; si præstatur de veritate dictorum, quibus aliquid nude affirmatur, vel negatur; *assertorium*; sin præstatur de veritate dictorum, quibus aliquid promittitur, *promissorium* vocatur; *promissorium generale*; quando in genere quid promittitur; *speciale*; quando certus quidam actus in specie promittitur; *suppletorium*; quo defectus probationis suppletur; *purgatorium*; quo quis præsumtiones adversus se militantes elidit. *Juramentum litis decisorium* est, quod eo fine præstatur, ut res controversa sit decisa. Est *voluntarium*; quando partes inter se conveniunt; quod per juramentum decidi debeat ipsarum controversia, seu res controversa; & *necessarium* quando deficientibus aliis probationibus factum, a quo pendet decisio rei controversæ, aliter probari nequit, quam per juramentum, aut saltem supplendus probationis defectus. *Purgare se* dicitur, qui a suspicione, in quam adductus est, se liberat, ostendendo scilicet, se liberum esse ab eo, quod ipsi objicitur. *Juramentum alteri deferre* dicitur, qui sufficienter significat, velle sese, ut juret. Ideo *juramenti delatio*

latio est actus, quo sufficienter significatur, nos velle, ut alter juret; *Juramentum servare*, qui facit, quod se facturum jurat, seu qui promissum juratum servat; *in animum alterius jurare*, qui nomine, & mandato absentis jurat. *juramentum referre* dicitur, qui cum juramentum sibi delatum acceptare nolit, sufficienter declarat, malle sese, ut pars altera, quæ dicit, juramento confirmet; *recusare*, qui sufficienter declarat, se jurare nolle, seu juramentum sibi delatum, vel relatum acceptare nolle; *remitti*, si facta acceptatione pars altera declarat, sese nolle ut actu præstetur, sed pro præstito habere.

SCHOL. Vid. Jo. LAUR. HOLDERRIEDER comment. von der Natur des Eides in der histor. Nachr. von der Vveissenfels. aletophilischen Gesellchafft, p. 127. seqq. & M. Jo. DAN. MULLERI vernunftige Gedancken von Gebrauche und Misbrauche der Eide und Handgeloebnisse, Helmst. 1747.

. *Mala* sibi, vel aliis *imprecari* dicitur, qui verbis declarat, velle sese, ut sibi, vel alteri mala eveniant, vel etiam evenissent. Unde *imprecatio* est significatio voluntatis nostræ de malis, quæ nobis vel aliis evenire, vel evenisse cupimus. Cui majora mala imprecamur, *eum execrari* dicimus. Unde *execratio* est majorum malorum optatio, veluti interitus, amissionis fortunarum secundarum, permansionis in adversis sine ullo remedio jacturæ salutis æternæ.

Pejerare dicitur, qui jurat se moraliter verum loqui; dum moraliter falsum loquitur, ut adeo *pejeratio* sit juramentum ejus, qui se moraliter verum loqui jurat, dum moraliter falsum loquitur seu mendacium juratum. Sed *perjurare* dicitur; qui, quod ex animi sui licet sententia juravit, id tamen non facit, ut adeo *perjurium* sit volitio faciendi id, quod te non facturum ex animi licet tui sententia jurasti, & contra; seu perfidia jurata, vel violatio fidei juratæ.

Ob-

Obtestatio est actus, quo quis alterum per Deum testem veritatis dictorum & vindicem mendacii ac perfidiæ, aut facti cujusdam illiciti, vel per rem aliam ipsi carissimam, vel cujus maxime rationem habere debet, obsecrat, ut verum dicat, vel, ut quid faciat, aut non faciat.

Asseveratio per Deum testem aut rem aliam nobis carissimam, vel magni momenti dicitur *contestatio*.

Vovere dicimur id, quod Deo pollicemur. Unde *votum* est pollicitatio Deo facta; *conditionatum*, quod sub certa conditione præstatur; *purum*, quod præstatur sine conditione certa. Id vero *servare*, vel *adimplere* dicitur, qui ea facit, vel non facit, quæ se facturum vel non facturum, aut dat, quæ se daturum vovit.

Jus affirmativum est, quo facere quid possumus; *negativum* vero, quo non pati tenemur, ut alter quid faciat.

Patientia facti alieni consistit in non resistentia contra factum alienum, quæ quomodocumque fieri poterat, sive verbis, sive factis.

Dominii acquisitio ex derelictione rei præsumta dicitur *usucapio*.

Præscriptio est amissio juris proprii ex consensu præsumpto.

SCHOL. Vid. CHRIST. GOTTOFR. VVEIDLICHI diss. de præscriptione in statu naturali considerata, Lips. 1739. 10. GEORG. VVALTHERI diss. de præscriptione inter liberas gentes ad HUG. GROTII P. B. & P. L. II. C. IV. §. 1. -- IX. Vitemberg. 1751. CHRIST. HENR. BREUNING. diss. de præscriptione liberis gentibus incognita Lips. 1752.

Præsumptio absoluta seu *juris & de jure* est, qua quod præsumitur pro vero haberi lex præcipit; *conditionalis* seu *juris*, qua quod præsumitur, tamdiu pro vero habendum, donec contrarium probetur; *hominis*, quæ fit ab homine, veluti ab judice, ubi lex tale quid præsumi non statuit.

Titulus justus est, qui infert nudam possibilitatem juris acquisiti, veluti dominii, non vero ipsam ejus actualem acquisitionem. Unde *titulum justum habere* dicitur possessor, qui possessionem acquisivit istiusmodi facto, quo dominium a domino transferri posse lex declarat.

Possessio justa est, quæ, & titulo justo, & bona fide constat, *injusta* vero, quæ justum quidem habet titulum, bona autem fide destituitur, vel quæ bona quidem fide constare videtur, justo tamen destituitur titulo, *precaria*, quæ ab altero revocabiliter in te fuit translata.

Actus simplices sunt, qui resolvi nequeunt in plures, quorum unus sine altero, vel ceteris esse potest; *compositi* vero, qui in plures resolvi possunt, quorum unusquisque per se subsistere potest.

Actus beneficus est actus simplex, ex quo unus tantummodo percipit utilitatem quamdam, alter vero vicissim nihil recipit; *mere beneficus* est, cui nulla adhæret obligatio perfecta; *beneficus obligatorius* est, cui mutua adhæret obligatio perfecta.

Actus permutatorius est actus simplex, quo utraque pars ad onus quoddam, seu aliquid dandum, vel faciendum adstringitur. Is est, vel *diremtorius*, qui separatam utriusque partis respicit utilitatem, præstationibus peculiaribus obtinendam, vel *communicatorius*, in quo per præstationes communes intenditur communis quædam utilitas.

Facta, & res, sive pecuniam inter se communicare dicuntur, qui eumdem conferunt ad communem quamdam utilitatem, ut adeo *facti, & rei seu pecuniæ communicatio* sit ejusdem ad communem utilitatem collatio.

Actus mere beneficus, qui in præsens absolvitur, dicitur *beneficium*. Quando enim in futurum prominet, *promissio benefica*, sive *liberalis* est. *Gratis dare vel facere* dicitur, qui pro eo, quod faciat, vel dat, ab altero nihil vicissim recipit. Hinc *gratuitum*

dicitur, quod gratis præſtatur. Quoniam ex actu benefico unus tantummodo percipit utilitatem quamdam, alter vero nihil viciſſim recipit; *actus* quoque benefici a nonnullis *gratuiti* appellari ſolent.

Benefactor dicitur qui ad beneficia præſtanda facilis eſt; ſeu qui beneficium dat; *beneficiarius* autem, qui beneficium accipit, & benefaciendi facilitas *beneficentia*.

Gratitudo, ſive *gratus animus* eſt dilectio benefactoris ob beneficia in nos collata.

Beneficium reddere dicitur, qui beneficium tribuit ei, abs quo accepit, propterea quod ſibi beneficium tribuit.

Qui beneficia reddit, aut reddendi animum habet, is *gratus* eſt, ſeu *animum gratum habet*. Qui verbis vel factis animum gratum ſignificat, *gratias agere* dicitur. *Ingratus* dicitur, qui benefactorem ob beneficia ſibi tributa non diligit, immo iis non obſtantibus prorſus odit. Itaque *ingratitudo* vitium eſt, quo benefactorem ob beneficia nobis tributa non diligimus, immo hiſce non obſtantibus prorſus odimus.

Donare alteri dicimur rem, quam ipſi gratis damus. *Donatio* eſt actus mere beneficus, quo alteri rem quamdam damus. Ipſa vero res, quæ alteri gratis datur, *donum* vocatur, vel *munus*. Qui donum dat, dicitur *donans*, vel *donator*; qui accipit, *donatarius*. Quod datur ad ſublevandam extremam vitæ neceſſitatem, *eleemoſyna* dicitur. Quum adeo eleemoſyna ſit plerumque parvum donum, erit eadem *munuſculum*; quamobrem etiam munuſculum dici poterat, non tamen ſatis apte.

Mendicitas eſt tanta rerum inopia, ut deſint quæ extremæ vitæ neceſſitas exigit, ſeu defectus omnium rerum neceſſariarum. Hinc *mendicus* dicitur, qui tanta rerum inopia laborat, ut deſint ei, quæ extrema vitæ neceſſitas exigit, & *mendicare*, qui eleemoſynam petit.

Do-

Donatio revocari dicitur, quando donans declarat, donationem pro non facta habere deberi, consequenter, si res donata jam fuerit tradita, eam sibi vult reddi, aut, si nondum tradita fuerit, eam tradere se nolle indicat. *Promissio* etiam *quod revocetur* dici potest, quando promissor declarat, promissionem pro non facta haberi debere.

Donatio mortis causa dicitur donatio ideo facta, quia moriturus es, consequenter vel cum expressa, vel cum tacita reservatione donationem ante mortem revocandi, quando visum fuerit. Si quis vero mortis causa non donat, sed irrevocabiliter, *inter vivos donari* dicitur. Unde *donatio inter vivos* est, qua quis irrevocabiliter donat, consequenter qui inter vivos donat, rem statim vult fieri donatarii, nec ullo casu ad se reverti. Dicitur etiam *simpliciter donare*, qui inter vivos donat. Unde donatio inter vivos intelligitur, quando de donatione simpliciter sermo fit, nisi res ipsa loquatur, intelligendam esse donationem omnem, seu hoc expresse dicatur.

Beneficium dicitur *obtrudi*, quod invito ac renuenti offertur. In genere *obtrudi* dicitur id, quod invito ac renuenti offertur, *renuere* autem, qui verbis vel factis offerre instanti declarat, se quod offertur accipere seu acceptare nolle.

Mortis causa capio dicitur acquisitio rei intuitu mortis alienæ, sed non ex bonis defuncti.

Donatio remuneratoria est, quæ fit ob bene merita a donatario in donantem profecta, vel beneficia ab eo in hunc collata. *Bene* autem *mereri* de aliquo dicitur, qui operam dat, ut ei quomodocumque prosit, seu agit, quod ad utilitatem, vel jucunditatem alterius quomodocumque facit.

Donatio reciproca dicitur, quæ fit sub hac conditione, ut tu mihi vicissim rem aliam dones.

Pauper dicitur, cujus patrimonium non nisi res necessarias continet, *egenus* vero, in cujus patrimonio res etiam necessariæ deficiunt. Unde *paupertas*,

poteſtate ſua eſt. Unde *miſericordia* virtus eſt, qua alterius miſeria commovemur ad eum a malis, quibus affligitur, gratis liberandum, aut ſaltem tolerabiliora eadem efficiendi, quantum in poteſtate noſtra eſt. *Immiſericors* dicitur is, cui malum alienum præſertim gravius motivum non eſt, ab eodem ipſi inferendo abſtinendi. Unde *immiſericordia* vitium eſt, quo quis alieno malo, præſertim graviori, minime commovetur, ut ab eodem ei inferendo abſtineat.

Opus miſericordiæ dicitur quilibet actus gratuitus, quo alterum a malo præſertim graviori, aut malorum, quibus affligitur, multitudine liberare, aut ea ſaltem ipſi tolerabiliora efficere conamur.

Quantitas rebus arbitrio hominum tributa, ut in permutatoriis actibus earum ad ſe invicem ratio definiri poſſit, *pretia earum* dici ſolet.

Pecunia eſt res corporalis, cujus determinata quædam quantitas ſumitur pro menſura communis pretii rerum quarumvis tam corporalium, quam incorporalium, & operarum quarumlibet ſeu eſt menſura communis pretii rerum, & operarum.

Pretium rei unius, vel operæ cujuſdam datæ determinatum ex pretio rei alterius, vel operæ alterius datæ ſine communi quadam menſura alia aſſumta, vocari ſolet *pretium vulgare*. At *eminens*, ſi determinatur per quantitatem pecuniæ. *Primitivum* dicere lubet pretium quantitatis phyſicæ rei, vel operæ cujuſcumque menſura quadam definitæ per certam pecuniæ quantitatem determinatum; *derivativum* vero, quod proportionaliter reſpondet quantitatis ejuſdem majori, vel minori; *verum ſeu commune*, quanti res valeat communi hominum, vel peritorum æſtimatione. Similiter *pretia inter ſe primitiva* ſunt, quibus rerum, & operarum pro unitate aſſumtarum ad ſe

annui, officiis inservientes. Si in pecunia consistunt, vel pecunia æstimantur die Einnahme. *Annui*, qui singulis unius anni spatiis proveniunt, seu jus annuatim ab altero exigendi certam pensionem constitutum super re alterius, vel super obligatione personali. Qui si determinati ad vitam emtoris, vel venditoris aut etiam tertii cujusdam sunt, vocantur *vitalitii*, *Leibrenten*. Si in pecunia consistunt, *pecuniarii*. Si in certa fructuum quantitate, aut rata quadam fructuum perceptione, *fructuarii*. Sunt *stati certive*, si singulis annis iidem sunt, seu quorum spes haud fallit quique ideo indubie obtinendi, & *variabiles*, *incerti* seu *non stati*, qui uno anno majores, alio minores sunt, seu quorum spes est fallax, ideoque non nisi casu fortuito emergente propter officium obtingunt. *Publici* sunt bona civitatis per res ejusdem obtinenda, seu jam parta, & saluti ejusdem dicata. Si promiscue quibusvis salutis civitatis partibus impenduntur, *communes*; sin peculiaribus ejusdem partibus assignantur, *peculiares* sunt. Si publici destinantur sustentando splendori rectorum civitatis eorumque familiæ, fiunt privata eorum bona seu pecula; prædia autem, ex quibus redeunt, dicuntur *dominia*. Sin illi reditus manent publicis usibus destinati impendendique, appellantur *æs publicum*, vel *peculium civitatis*.

Expensæ dicuntur pecunia, qua quis res sibi comparat, quæ, vel usu consumuntur, vel deteriorantur, & quæ gratis dantur aliis. Sunt *necessariæ*, quæ rerum necessariarum comparandarum gratia fiunt, vel in impensis necessariis consistunt; *voluptuariæ*, quæ rerum voluptuariarum comparandarum, vel voluptatis percipiendæ gratia fiunt; *minus necessariæ*, quæ fiunt rerum comparandarum gratia, quibus carere poteras; *inutiles*, quæ fiunt rerum, quæ nulli tibi sunt usui, comparandarum gratia; *utiles*, quæ in impensis utilibus consistunt; *non utiles*, quæ re-

rerum utilium comparandarum gratia pro facultate patrimonii fiunt.

Parsimonia virtus est, qua expensas ita moderamur, ne qua ex parte desimus officio alicui, vel erga nos ipsos, vel erga alios, pro facultate patrimonii nostri. Qui huic virtuti deditus est, *parcus* dicitur.

Prodigus dicitur, qui plures, & majores facit pro facultate patrimonii sui expensas, quam quas officium aliquod erga se ipsum, vel alios exigit. Unde *prodigalitas* aut prodigentia vitium est, quo quis plures, & majores facit pro facultate patrimonii sui expensas, quam quas officium aliquod erga se ipsum vel erga alios exigit.

Magnificus dicitur, qui magnos sumtus facit in res, quas exigit decor, amplitudini patrimonii, quod habet, respondentes. Unde *magnificentia* animus propensus est in magnos sumtus faciendos in res, quas exigit decor, amplitudini patrimonii respondentes.

Tenax, *karg*, dicitur, qui pauciores, & minores pro facultate patrimonii sui facit expensas, quam quas officium aliquod erga seipsum, vel erga alios exigit. Inde *tenacitas* vitium est, quo pauciores, & minores pro facultate patrimonii fiunt expensæ, quam quas officia erga se ipsum atque alios exigunt.

Continenia, seu *animus sorte sua contentus*, *die Vernungsamkeit*, est virtus, qua tantum acquirere studemus, quantum in potestate nostra est, nec propterea angimur, quod non plus acquirere valeamus.

Avaritia est cupiditas plus habendi, quam acquirere in potestate nostra est, si vel maxime ad vitam commode ac decore agendam, immo futuræ necessitati, & aliis extraordinariis expensis sufficiant, quæ acquiruntur.

Sordidus, *Eigennutzig*, *Filzig*, appellatur, qui in acquirenda, & eroganda pecunia nullam habet ratio-

rationem decori. Hinc *fordium* nomine venit neglectus decori in acquirendo & erogando.

Incurius dicitur, qui numquam deliberat, quantum acquirere in poteſtate ſua ſit, & quomodo parta conſervari detur, conſequenter in acquirendo & partis conſervandis omnem curam abjicit. Itaque *incuria* dicitur vitium, quo numquam deliberamus, quantum acquirere in noſtra poteſtate ſit, & quomodo parta conſervari detur.

Actus obligatorii benefici dicuntur *contractus benefici*. Itaque *contractus beneficus* eſt, ex quo una tantummodo pars contrahentium utilitatem quamdam gratis percipit, ſeu commodum quoddam gratis habet, & ſi mutuæ hinc reſultent obligationes.

Commodatum eſt contractus beneficus, quo certus quidam rei, quæ uſu non conſumitur, uſus alteri gratis conceditur. *Commodans* dicitur, qui certum rei uſum alteri gratis concedit, *commodatarius* vero cui uſus rei gratis ab altero conceditur.

Actus ille, quo res utenda redigitur in poteſtatem commodatarii, ſignificatu generali vocatur *traditio*, rei ſcilicet utendæ, quæ adeo ad certum uſum tradi dicitur.

Contractus, qui rei traditionem requirit, *re iniri* dicitur, & quæ ex hoc contractu naſcitur *obligatio*; ea *re contrahi* dicitur.

Rem in ſpecie reſtituere dicitur, qui eamdem numero reſtituit, quam accepit; *in genere* vero, ſi non eadem numero, ſed alia ejuſdem ſpecies reſtituatur.

Res vitioſa dicitur, quæ uſui inſervire nequit, cui inſervire debet.

Res fungibilis dicitur, quæ vice fungitur rei alterius ejuſdem generis, ita, ut æquipolleat eidem ſpeciei, ſeu, philoſophice loquendo, rei numero eidem; ſeu individuo eidem.

Contractus beneficus, quo rei, quæ uſu conſumitur uſus alteri gratis conceditur, *mutuum* dicitur.

Qui

Qui mutuo dat, *creditor* seu *mutuans*, qui mutuo accipit, *debitor* seu *mutuatarius* appellatur. Quod si de pecunia mutuo data sermo est, *creditor*, cui pecunia debetur, *debitor*, qui eam debet, dicitur.

Bonitas interna pecuniæ sive monetæ est, quæ æstimatur ex materia & pondere; *externa* vero est valor arbitrio hominum eidem impositus. Materia idiomate patrio dicitur *Korn*, *Gehalt*, pondus *Schrot*, *Gewichte*, valor impositititius *die Würdigung*, *Valvation der Münzsorten*, *der Werth*. *Moneta reproba* est, cujus bonitas interna parum respondet externæ; seu, si valor impositititius superat valorem internum, quem a materia ac pondere habet; *proba* vero, cujus bonitas externa determinatur per internam, seu si valor impositititius respondet valori interno, quem a materia ac pondere habet.

Summa pecuniæ mutuo datur, quando pecunia annumeratur supposita bonitate interna & externa. At *genus pecuniæ mutua datur*, si annumerantur corpora, non attento valore interno, quem singula tunc habent.

Æstimatio numerorum mutuo dari dicitur, si certa pecuniæ summa in genere seu in moneta usuali currente, & proba sub æstimato valore creditur.

Si tibi rem aliquam custodiendam trado, & tu eam gratis custodiendam suscipis, eam *deponere* dicor. Unde *depositum* vocatur contractus beneficus, quo res aliqua gratis custodienda traditur, & suscipitur. Qui rem custodiendam committit, *deponens*, qui eam custodiendam suscipit, *depositarius* appellatur. Si depositario liberum relinquitur, ut re fungibili possit uti, & eam in genere restituere.

Res litigiosa dicitur, de cujus dominio inter duos vel plures controvertitur. *Controvertitur* vero *de dominio*, quando plures affirmant, rem esse suam

suam sive corporalis fuerit, sive incorporalis. Si res litigiosa a litigantibus apud tertium deponitur, depositum *sequestrum* appellatur, & depositarius *sequester*. Unde *sequestrum* est depositum rei litigiosæ, *sequester* vero is, qui custodiam rei litigiosæ gratis in se suscipit, & quando res litigiosa deponitur, *sequestrum* dicitur.

Mandatum, eine Vollmacht, est contractus beneficus, quo alteri quid nostro nomine faciendum committitur, & commissum ab eo gratuito suscipitur. Qui alteri quid faciendum committit, *mandans* vel *mandator* qui quod faciendum committitur gratis suscipit, *mandatarius*, vel etiam *procurator* appellatur.

Mandatum speciale est, quo aliquod negotium in specie gerendum alteri committitur; *generale*, quo universa quædam negotia alteri gerenda in genere committuntur, *cum libera agendi potestate conjunctum* est, quo quid a mandatario fieri debeat; præcise definitur, ita ut nihil arbitrio ejus relinquatur; *sine libera, sed cum restricta agendi potestate*, quo tantum modo in genere determinatur, quid a mandatario fieri debeat, cæteris arbitrio ejus relictis; *manifestum*, quod ad notitiam ejus, cum quo agitur, pervenit; *arcanum* est mandatum, quod ad notitiam ejus, cum quo agitur, non pervenit; *expressum*, quod expresso mandantis consensu contrahitur; *tacitum* quod tacito mandantis consensu contrahitur; *per equipollens adimpleri*, dicitur, si impletur per aliud æque utile aut utilius, quam erat id, quod fuerat mandatum, *in forma specifica*, si impleatur præcise per id, quod fuerat mandatum; *revocare*, qui mandatario declarat, nolle sese, ut mandatum adimpleat, consequenter se eidem ex mandato teneri nolle, uti in genere *contractus*, sive *pactum revocare* dicitur, qui sufficienter declarat, nolle sese, ut contractum sit; *renunciare* mandatarius, quando mandanti significat, se mandatum, quod suscepe-

perat,

perat, adimplere nolle. *Tempestiva* vocatur *renunciatio*, quando mandatori non interest, si mandatarius mandatum exequi nolit, consequenter per renunciationem nullo damno afficitur mandator; *intempestiva* vero, quando per renunciationem damnum aliquod sentiret mandator.

Committere quid faciendum alteri dicimur, si eum volumus ad hoc faciendum nobis perfecte obligatum; *commendare*, si significamus gratum nobis fore, ubi facere voluerit, quod eum facere volumus.

Rogare idem est, ac sufficienter indicare, quod enixe velimus, ut faciat alter nec facere abnuat.

R*ationem reddere negotii gesti* dicitur, qui distincte exponit, quomodo singula ad negotium gerendum requisita executus fuerit.

Factum dicitur *turpe*, quod lege naturali prohibitum, *pactum* vero, in quo de facto turpi committendo convenitur.

Contractus consensualis est, qui mutuo consensu perficitur seu consummatur. *Honorarium* dicitur donum pecuniarium, quod remunerandi animo datur alteri ob præstationem quandam gratuitam, vel pecunia non æstimabilem,

Fidejubere dicitur, qui pro alio alteri obligato vel obligando gratis se obligat, scilicet, quod ipse præstare velit, si alter præstare non possit vel nolit, ad quod præstandum obligatur. Quam ob rem *fidejussio* est contractus beneficus, quo quis ei, cui alius obligatus est, vel obligandus ad aliquid præstandum, se gratis obligat, quod ipse hoc præstare velit, nisi alter præstare possit, vel nolit, quod debet. *Fidejussor* dicitur, qui pro altero ad aliquid præstandum obligato vel obligando se gratis obligat, quod ipse præstare velit, nisi alter præstiterit, seu qui pro altero fidejubet. Is vero, pro quo fidejubetur *principalis debitor* appellatur, & hujus obligatio respectu obligationis fidejussoris *principalis obligatio* appellatur. Unde & principalis debi-

bitor *principaliter obligatus* dicitur. At fidejussoris *obligatio* vocatur *accessoria*, & is *accessorie obligari* dicitur. Qui pro fidejussore fidejubet, *fidejussor succedaneus*, subinde etiam *subalternus* vel *vicarius*, *ein Ruckburge* appellatur, & ejus respectu fidejussor, pro quo fidejubetur, *principalis* audit. Unde etiam ipsa *fidejussio* pro alio fidejussore facta *succedanea*, item *subalterna*, vel *vicaria* vocatur, ejus autem respectu fidejussoris principalis obligatio *principalis* vocatur. Fidejussor succedaneus in specie dicitur *fidejussor indemnitatis*, *eit Schadlosburge*, si creditori promittit, se præstiturum id omne quod nec a debitore principali, nec a fidejussoribus principalibus consequi potest. *Fidejussorem indemnitatis fidejussoris* appellare libet eum, qui se obligat fidejussori propria obligatione, scilicet promittendo, quod a se recuperare debeat, siquidem quod solvere coactus fuit, a debitore principali recuperare non possit.

Debitorem excutere idem est ac in facultates ejus inquirere, ut constet, utrum is solvendo sit nec ne.

Expromissor dicitur, qui alterius obligationem in se transfert, seu pro altero obligato aut obligando ita se obligat, ut ipse suo nomine tamquam debitor principalis præstet, ad quod præstandum alter erat obligatus vel obligandus.

Actus permutatorii dicuntur etiam *contractus onerosi*. Est igitur *contractus onerosus*, in quo utraque contrahentium pars ad aliquid dandum, vel faciendum obligatur, scilicet, ut pro eo, quod unus dat, vel facit, alter vicissim aliquid det vel faciat. *Permutatio* est contractus onerosus, qua res datur ab uno, & alter eam accipiens vicissim dat rem aliam.

Æqualitas in contractu onereso observari dicitur, quando tantumdem recipitur, quantum datur; *inæqualitas* obtinet, si contra evenit.

Emtio venditio est contractus onerosus, quo res datur ab uno, & alter eam accipiens dat pretium eminens,

nens, seu eam pecuniæ summam, per quam pretium rei determinatur. Qui in emtione venditione rem dat, *venditor*; qui pretium rei seu pecuniam, *emtor* dicitur. Unde *vendere* idem est, ac rem pro certo pretio, seu certa pecuniæ summa dare alteri, & *emere* idem est ac rem pro certo pretio, seu pro certa pecuniæ summa sibi comparare ab altero. *Ad mensuram emi* dicitur, si quantitas determinetur, quæ emta esse debet, & pretium ex quantitate quadam certa definiatur, vel si res certa tota emitur, sed ea lege, ut ejus quantitas certa mensura determinetur, ex qua pretium ejus definitur, *per aversionem* vero, si res certa emitur ita, ut ejus pretium ad nullam quantitatem restringatur; unde computandum. Res, quæ emitur venditurque, dicitur *merx*.

Dominium futurum dicitur, quod nobis competit in re extitura, quam primum existit, vel etiam in re accipienda, quam primum accipitur.

Solutio pecuniæ est actus, quo dominium & possessio pecuniæ debitæ una transfertur, consequenter cum dominium datione, possessio traditione transferatur.

De pretio conveniri dicitur, si certa pecuniæ summa consensu contrahentium definiatur.

Fidem de pretio habere dicitur venditor emptori, vel *fidem emtoris sequi*, si verbis emptoris de pretio solvendo confidens, nec de eo solvendo sibi quocumque alio modo caveri, vel satisfieri jubens, mercem tradit.

Arrha dicitur pecunia vel res, quæ ab uno contrahentium datur alteri contractus probandi, & confirmandi gratia. Ideo *datio arrhæ* contractus est, quo unus contrarium certam pecuniæ quantitatem, vel rem aliam dat alteri probandi confirmandique contractus alterius gratia.

Accidentia grata vocamus, quæ ad utilitatem & jucunditatem quid conferunt, *ingrata* vero, quæ utrique obstant, vel alio quocumque modo molestiam

stiam pariunt, aut ad eam afferendam ingrata sunt; Hæc etiam possunt vocari significatu latiori *vitia rei*, & quidem *interna*, si ea rei insunt, *externa* vero, si eidem adsunt. Strictiori significatu *vitium rei* appellatur, *accidens*, quod eidem inhæret & rem usui suo minus aptam reddit.

Pactum, quo ita convenitur, ut res sit inempta si intra certum tempus emptor pinguior offeratur, vel ut sit emta, nisi offeratur, dicitur *addictio in diem*, & quidem in casu priori *pura*, in casu secundo *conditionata*. In genere vero est pactum, quo id agitur inter emptorem ac venditorem, ut venditori venditam rem alii emtori meliorem conditionem offerendi addicere, seu, ut si quis meliorem conditionem fecerit, emtor eam restituat.

Conditio melior dicitur, quidquid ad utilitatem venditoris pertinet, & *emtor pinguior*, qui meliorem conditionem offert.

Pactum, quo ita convenitur, ut nisi emtor intra certum tempus pretium solvat, res sit inemta, *lex commissoria*, *pactum commissorium*, *pactum legis commissoriæ*; ipsa autem venditio, cui lex hæc addita est, *venditio commissoria* appellatur. Subinde etiam hoc pactum *commissoria* simpliciter vocatur ubi lex subintelligitur, & vi ejus *res* dicitur *committi*, quod idem est ac dominium ejus amittere. In genere etiam *lex commissoria* vocatur pactum, quo ita convenitur, ut, nisi præstetur, quod ex alio contractu debetur, debitor amittat, quod ex eo habere debeat, veluti pignus quod dedit, nisi intra tempus definitum id reluat. Et tunc id, quod amittitur, dicitur committi. Ipsum etiam pactum, adeoque in casu speciali præcedente *emtio* dicitur committi.;

Pactum, cui adjicitur conditio quæcumque resolutiva, vulgo *resolutivum*, & *ex tunc* appellatur, quæ contractum retro resolvunt, quasi scilicet statim ab initio fuisset nullus, *ex nunc* vero, quæ contra-

resolvunt eo, quod conditio existit tempore, ut ab eo demum habeatur pro nullo. Quodsi ita conveniatur, ut, si rem emtam iterum vendere volueris, eam mihi vel tertio cuidam certo vendere debeas, vel ut alii vendere non liceat, si ego vel tertius ille idem pretium solvere velimus, quod solveret alius; pactum emtioni ac venditioni adjectum dicitur *pactum de retrahendo* & jus ex hoc pacto acquisitum *jus retractus* appellatur.

Jus protimiseos est jus, quo aliquis præferri debet in eodem actu alii vel aliis. Si ita conveniatur, ut, quando tibi visum fuerit, vel certo tempore, vel intra certum tempus rem venditam tibi redimere liceat, pactum, quod emtioni venditio adjicitur, *pactum de retrovendendo vel retrovenditionis* dicicitur; *de redimendo* vero, quo ita convenitur, ut res vendita, quandocumque visum fuerit emtori, vel certo tempore, vel intra certum tempus redimi debeat.

R*es evici* dicitur, si quis eam ob jus, quod in ea habet, nec exercere potest, nisi eam in potestate sua habet, a possessore aufert. Unde *evictio* est oblatio rei a possessore ob jus auferendi in ea competens, quod exercere nequit, nisi eam habeat in potestate sua. Sed eam *prastare*, qui satisfacit alteri prn damno, ob rem evictam eidem obveniente, atque ejus *prastatio* est reparatio damni ob rem evictam possessori obvenientis.

Auctor scilicet juris quod quis in re habet, dicitur is, a quo is rem accipit, seu a quo jus in eum transiit; *malus* est, qui tale jus, quod in alium transferre debet, non habet.

Locatio conductio est contractus onerosus, quo certus rei usus conceditur, aut certa opera præstatur pro certa mercede. Unde ea dividitur in rerum & operarum, & *pensio* dicitur, quod solvitur pro usu rei, præsertim immobilis. Qui pro usu rei alteri mercedem solvit, itemque is, cui operæ pro mercede præstantur, dicitur *conductor*, ille quidem

dem *rei*, hic *operarum*. Qui vero pro mercede concedit usum rei vel etiam pro operibus suis eamdem accipit, vocatur *locator*, ille quidem *rei*, hic vero *operarum*. In specie conductor ædium *inquilinus*, agri *colonus*, operis faciendi *redemtor* appellatur, qui postremus idem est cum locatore operarum. Locatio, quæ fit a conductore, dicitur *sublocatio*. Res vel opera *relocari* dicitur, si conductori finito tempore iterum locetur. *Locatio*, & *conductio renunciari* dicitur, si vel locator conductori, vel hic illi significet, se ultra certum terminum ex contractu amplius teneri nolle.

Artifex dicitur, qui artem aliquam callet vel exercet.

Si cui pecudum usus pro viliori mercede annua, certa fructuum parte conceditur ea lege, ut, si qua illarum pereant, accipiens, vel alias in earum locum substituat, vel æstimationem præstet, contractus dicitur *socida*, vel etiam *socida contractus*.

Pecudes, quæ danti numquam moriuntur, vel pereunt, quia accipiens eas, vel in specie restituere, vel æstimationem præstare tenetur, dicuntur *ferrea*.

Si duo, vel plures inter se conveniant, quod res, & operas conferre velint eo fine, ut lucrum ac damnum commune sit, contractus est *societas*. Qui societatem ineunt, dicuntur *socii*. Societas, in qua alter lucrum tantum, alter damnum sentiat, *leonina* dicitur. Si bona universa tam præsentia, quam futura in communionem deducuntur, dicitur *omnium bonorum*, *vel fortunarum*. Si vero ea omnia, quæ opera, & negotiatione acquiruntur, *bonorum* simpliciter, utraque communi nomine *universalis*, *generalis* etiam vocatur, *particularis*, vero in qua communicantur ea, quæ ex certis rebus, vel certa negotiatione proveniunt. *Bona societatis* dicuntur, quæ in communionem deducuntur, dum societas contrahitur. *So-*

cietas dicitur *prorogari*, quando ultra terminum ad quem seu tempus, ad quod contracta est, continuatur; ei vero *renunciare*, si quis declarat, se in eadem diutius manere nolle.

Pecunia, quæ in societate ad certum usum confertur, seu in genere, qua fruimur, dicitur *sors*, *das Capital.*

Extraneus respectu societatis dicitur, qui socius seu membrum societatis non est.

Usuras dicimus, quidquid pro usu rei, quæ usu consumitur, seu fungibilis, in primis pecuniæ datur, sive sit pecunia, sive res alia. Sunt *voluntariæ* seu *conventionales*, quæ ex pacto debentur, & *necessariæ*, quæ debentur sine conventione, veluti ex mora; *mordentes*, quæ officio erga alios repugnant, *non mordentes*, quæ non repugnant. *Usuraria pravitas* est, si quis pecuniam credit ad usuras illicitas, seu usurarum illicitarum exactio.

Contractum fœnebrem appellamus, quo convenitur, ut pro usu rei fungibilis, præsertim pecuniæ, dentur usuræ, quem ad modum *pecunia fœnebris* dicitur, pro cujus usu accipiuntur usuræ.

Anatocismus seu *anatochia* est pactum, quo convenitur, ut usuræ convertantur in sortem, & debeant tum etiam usuræ usurarum.

Quem ad modum *pecunia usuraria* dicitur, quæ sub usuris debetur, ita etiam *usurarium debitum* appellatur, cujus usuræ debentur, sive conventionales, sive necessariæ; *dies* vero *usurarius*, quo usuræ ob creditam pecuniam solvendæ.

Permutatio pecuniæ cum pecunia, quacumque tantum lege fiat, *cambium*, & hinc permutatio specierum monetæ *cambium manuale* appellatur. Sed *cambium siccum*, *ein gemeiner*, *trockener Wechsel*, contractus, quo quis ab alio accipit litteras cambiales, pro quibus ipsi, vel alii causam ab eo habenti eodem loco, sed certo tempore certa pecuniæ summa, de qua conventum, solvenda.

Qui

Qui pecuniam in hoc paratam habet, ut eam cum aliis permutet speciebus, *collibysta*, *nummularius*, *trapezita* vocatur. Quod collybista specierum monetæ permutandarum causa deducis, *collybus*, *lagium*, *lagio* appellatur.

Contractus, quo peccunia alicui ita datur, ut is pro certa mercede eamdem alio in loco, sive danti, sive alii cuidam solvi certo die curet, proprie *cambium*, subinde etiam *cambium trassatum* datur.

Qui pecuniam alio loco restituendam dat, vocatur *Campsarius*, *Dominus cambii*; *Remittens*, *der Remittente*, *der Versender*; qui curam, ut pecunia sibi data alio loco restituatur, in se suscipit, *Campsor*, *Trassans*, *der Trassorer*, *Zieher oder Empfanger*; qui pecuniam alio loco accipit, *Præsentans*, *der Præsentante*, *der Inhaber oder Zeiger des Vvechselbriefes*, & denique qui pecuniam alio restituere debet, *Acceptans*, *Trassatus*, *der Acceptante*, *Trassante*, *der Bezogene*.

Litteræ, quæ a trassante inscribuntur trassato pecuniæ præsentanti solvendæ causa, & pro pecunia numerata datur remittenti, dicuntur *litteræ cambiales*. Si eæ in loca dissita remittendæ, majoris securitatis gratia dantur duæ, ut si forte primas intercidere contingat, secundis uti detur. Atque tunc vocantur *litteræ cambiales prima*, & *secunda*. Quodsi ergo duæ non dentur, dicuntur *sola litteræ cambiales*. Litteræ, quibus de cambio certior redditur trassatus, & quomodo eidem rursus satisfieri debeat propter pecuniam pro litteris cambialibus a præsentante exhibitis solutam, vocantur *litteræ advisoria*.

Valuta dicitur pretium cambii, dequo remittens trassanti satisfecit. Summa vero pecuniæ in litteris cambialibus expressæ, quatenus a præsentante exigenda, *remissa*; quatenus a trassato solvenda, *tratta* vocatur.

Si trassato non acceptante aliusejus loco acce-

ptat, *acceptatio* fieri dicitur *in honorem trassantis*, vulgo *acceptation per honor.*

Protestatio litterarum cambialium est actus, quo declaramus, nos ob earum acceptationem, vel solutionem non factam jus omne quoad restitutionem valutæ ac reparationem damni inde secuti, & præstandum interesse adversus trassantem nobis reservare. In genere nimirum *protestatio* est declaratio dissensus sui ob factum juri suo contrarium conjuncta cum reservatione juris sui. *Protestatio de non pagamento* dici solet protestatio iterata, quæ fit in termino solutionis ob solutionem non secutam, cum litteras cambiales acceptare non absolute renuisset trassatus.

Qui de valuta litterarum cambialium satisfacienti jus suum cedit vel aliis solutionis exactionem mandat, *litteras cambiales indossare* dicitur qui indossat, *indossans*, is, cui indossantur litteræ, *indossatarius* appellatur. Iterata indossatio *giratio* appellari solet.

Chirographum, *syngrapha*, *securitas*, *cautio*, sunt litteræ, in quibus quis fatetur, se rem quamdam fungibilem ab altero accepisse, & eam in genere restituere promittit. Contractus, qui mediante chirographo perficitur, dicitur *contractus chirographarius*, & is, qui chirographum accipit, *creditor chirographarius*, qui dat, *debitor chirographarius*, sicuti etiam *debitum chirographarium*.

Apocha, *Quittancia*, dicuntur litteræ, in quibus creditor fatetur debitorem solvisse, seu se accepisse a debitore, quod debebat; *antapocha* vero litteræ, in quibus debitor confitetur, se creditori solvisse.

Contractus æstimatorius dicitur, quo res æstimata certo pretio traditur vendenda alteri, ut eam vel reddat, vel pretium determinatum solvat.

Pretium taxationis gratia adiici dicitur, quando adjicitur eo fine, ut constet nunc, & in posterum de ejus valore; *venditionis gratia* vero, quando

do eo fine adjicitur, ut constet, quanti res emta esse debeat.

Constitutum, pecunia constituta, dicitur contractus, quo quis promittit, se soluturum aut facturum, quod vel ipse, vel alius jam antea solvere, vel facere debebat, salva manente priori obligatione. Quando solutio debiti alieni promittitur, *eine Schuld übernehmen*; quando vero promittitur denuo solutio debiti proprii *ein nochmaliges Versprechen*; in utroque casu, *sich anheischig machen*, idiomate patrio dicimus. Is, qui constituit, seu jam antea debitum se soluturum promittit, vocatur *constituens*; is vero, cui constituitur, seu solutio jam antea debiti promittitur, *constituarius*.

Adjectus dicitur is, cui nihil debetur, voluntate tamen creditoris solvendum debitum, aut saltem solvere licet.

Contractus do ut des est contractus onerosus, quo ita convenitur, ut unus det rem certam quamdam alteri, & accipiens vicissim det rem quamdam aliam.

Per *fraudem* intelligimus factum fidei adversum, quo alteri, cum quo nobis negotium est, inscio damnum adfertur. Quod si factum fuerit dolosum, adeoque committatur a sciente ac volente, *fraus consilii* appellari solet; si vero dolus absit, *fraus eventus*. *Fraudare* dicitur alterum, qui contra fidem, ad quam eidem obstrictus est, inscio dat damnum, seu ita agit, ut is faciat jacturam sui; vel ejus, quod suum esse debebat, & *in fraudem alterius facere*, idem est, ac contra fidem, ad quam adstricti sumus, aliquid facere eo animo, ut alter damnum patiatur, seu jacturam sui, aut ejus, quod suum fieri debebat, faciat.

Contractus do ut facias est contractus onerosus, quo ita convenitur, ut unus det rem certam, & eam accipiens vicissim aliquid faciat.

Contractus facio ut facias est contractus onerosus, quo ita convenitur, ut unus factum aliquod præstet, alter vero vicissim præstet factum aliud.

Contractum institorium appellamus, quo quis negotiationi quæstuariæ aliquem administrandi gratia præponit. Dicitur autem *negotiatio quæstuaria*, quæ lucri faciendi gratia exercetur. *Institor* autem vocatur, qui negotiationi quæstuariæ administrandi gratia universaliter præponitur; qui vero alterum præponit, *præponens*. Ille *institorio nomine agere* dicitur, quidquid negotiationis, cui præpositus est, causa fit, seu id, sine quo administrari negotiatio nequit.

Procurator dicitur, qui aliena negotia mandatu, vel voluntate domini administrat. Atque hic dici solet *verus procurator* ad differentiam ejus, qui sine mandato domini negotia aliena administrat, & *procurator falsus*, sicuti *quasi procurator* appellatur, qui ex præsumta voluntate administrat. Et quoniam procurator esse potest constitutus, vel omnium rerum, vel unius rei, ideo in *universalem*, & *singularem* distinguitur, quorum ille etiam dicitur *procurator ad omne negotium*, seu *procurator negotiorum*, hic vero *procurator ad partem negotii*.

Contractum exercitatorium appellare lubet, quo quis navi exercendæ præponitur, veluti eidem locandæ, vectoribus conducendis, armamentis emendis, & ita porro, seu alicui tota navis cura committitur. Is, ad quem omnes obventiones, vel reditus ex navi veniunt, adeoque qui alterum navi exercendæ præponit, seu omnem ejus curam ei committit, dicitur *exercitor*, *magister* vero *navis*, qui navi exercendæ præponitur, & *exercitorio nomine agit*, quidquid navis exercendæ causa facit, cui præpositus est, seu id, sine quo navi quæstus causa uti nequit.

Nautas vocamus eos, qui agendæ navis causa in navi sunt.

Contractus aleam continentes dicuntur illi, quibus super incerto eventu convenitur, ut eodem utrimque stent contrahentes.

Sors, *ein Looß*, vocatur res quæcumque, a cujus for-

fortuita determinatione suspenditur acq itio rei alterius corporalis, vel incorporalis, veluti juris faciendi, seu est signum ejus, quod nobis esse debet acquisitum, fortuito determinatum. Est *electrix*, qua definitur, quid ex duobus, vel pluribus sit eligendum: *attributrix*, quæ rem certam alicui attribuit; *divisoria*, qua definitur, quamnam rei divisæ partem quis habere debeat; *divinatoria*, qua quis, quid futurum sit, determinare vult.

Ars punctoria dicitur, qua ex fortuito punctorum sine numeratione in charta notatorum numero eventus futuri prædicuntur, vel occulta manifestantur.

Contractus sortis electricis est, quo convenitur inter duos, vel plures, quamnam ex rebus pluribus quis habere debeat, vel utrum aliquid, an nihil habere debeat. Si gratis datur, quod quis habere debet, est *beneficus*; at *onerosus*, si is vicissim quid dare debet aut facere.

Contractus sortis divisoria est, quo facta rei communis divisione partium distributio sorti committitur, ut scilicet per eam determinetur, quamnam partem unusquisque habere debeat,

Contractus sortis attributricis est, quo ita convenitur, ut res aliqua, ad quam duo, vel plures æquale jus habent, sit ejus, quem sors ostenderit.

Lotaria est contractus, quo res certæ pecunia collatitia emuntur, vel certa pecuniæ confertur summa ea lege, ut per sortem definiatur, utrum quis aliquid, & quid habere debeat, an vero symbolæ suæ dispendium facere.

Olla fortunæ appellatur, quando in urnam immittitur certus numerus schedularum, partim inscriptarum, partim inanium, & pro pretio certo emitur jus schedulam unam extrahendi, ea lege, ut qui eam extrahit, eam rem accipiat, quam e us inscriptio præsefert.

Rota fortunæ appellatur, quando peripheria circuli in partes æquales dividitur, & singulis parti-

bus abſcribitur numerus quidam rem certam indicans, ita vero convenitur, ut indice in gyrum acto in lucro fit res ab eo numero indicata, ſuper quo apex indicis quieſcit, jure indicem in gyrum agendi certo pretio redempto.

Contractus ollæ fortunæ eſt, quo ita convenitur ut quis ſoluto pretio pro jure ſortiendi certo quocumque modo ex rebus ſorti expoſitis eam acquirat, quam ſors oſtenderit.

Si plures de præmio certant, *vincere* dicitur is, qui conditionem, ſub qua præmium promiſſum, adimplet.

Contractus luſorius eſt, quo inter colluſores ita convenitur, ut certum quoddam lucrum communi conſenſu determinatum fit ejus, ex cujus parte extiterit certa quædam conditio, vel etiam damnum quoddam in lucrum imputandum ſit ejus, ex cujus parte alia quædam conditio extiterit. *Lucrum primarium* eſt, quod eſt ejus, penes quem finito luſu certa quædam conditio exiſtit, *ſecundarium* vero, quod ei cedit, ex cujus parte conditio quædam exiſtit durante luſu. *Damnum ordinarium* eſt, quod patitur is, qui perdit, quod ad lucrum primarium contulit; *extraordinarium* eſt, quod inter ludendum incurrit luſor certa quadam conditione exiſtente.

Ludi ſunt *fortuiti*, quorum eventus a ſola fortuna pendet; *artificiales*, in quibus eventus dependet ab uſu facultatum animæ, vel etiam facultatis locomotivæ, ſeu a ſola arte; *mixti*, in quibus eventus partim a fortuna, partim ab uſu facultatum animæ, vel etiam facultatis locomotivæ, ſeu arte dependet.

Sponſio, *die Wette*, eſt contractus aleam continens, quo ſuper eventu incerto ita convenitur, ut ei, qui exiſtentiam affirmat, ab altero, qui neget certum quid detur.

Aſſecuratio, ſeu *contractus avertendi periculi* dicitur, quo quis periculum mercium per mare tranſve-

hen-

hendarum, aut in genere indemnitatis circa casus fortuitos præstationem pro certa mercede, seu lucro in se recipit; *assecurator* vero, qui periculum in contractu assecurationis in se suscipit.

Fœnus nauticum dicuntur usuræ, quæ pro pecunia trajectitia solvuntur. Vocatur autem *pecunia nautica* quæ per mare transvehenda periculo creditoris.

Fœnus quasi nauticum, *pecunia quasi trajectitia*, vel *quasi nautica* appellatur, quod solvitur pro pecunia per alia loca periculosa transferenda periculo creditoris. *Contractus fœnebris nauticus* est, quo de fœnere nautico convenitur; *quasi nauticus*, quo convenitur de fœnore quasi nautico, communi nomine dicuntur *contractus trajectitii*.

Fœnus heteroplum olim dicebatur, cum commeatus tantum periculum suscipit fœnerator, *amphoteroplum* vero, si & commeatus, & remeatus periculum suscipit.

Bodemeria est contractus, quo pecunia numerata creditur in ipsam navim ea lege, ut sors pereat creditori, si navis interierit, vel in locum destinatum non venerit, creditor autem certum lucrum capiat, si salva in portum venerit. *Littera bodemeriales* dicuntur chirographa, in quibus debitor sive nauta confitetur, se pecuniam in navim mutuo accepisse, restituendam cum fœnore, de quo conventum, certo die, postquam navis in certum quemdam locum pervenerit. *Bylbrieffe* vocantur chirographa, quæ dantur pro pecunia in constructionem navis mutuo accepta.

Contractum vitalitium appellamus, quo pro sorte alteri data reditus vitalitios stipulamur, seu, quo reditus vitalitii emuntur venduntur.

Si in metalli fodina tamquam toto pluribus communi concipiantur partes æquales quotcumque; quælibet istiusmodi pars in fodina communi indivisa dicitur *pars metallica*, *ein Bergtheil*, *Kux*, *Kuckus*. Qui kuckum possident, vocantur *die Gelvercke*, *VValdburger*,

burger, *condomini fodina Kuckuum domini*. Pecunia, quam conferre tenentur kuckuum domini in metalla eruenda, & præparanda impendendam, *symbolica metallica*, *Zubusse*, appellatur.

Contractum metallicum vocamus, quo ita convenitur, ut dominium proparte in materiali fodina in nos transferatur, & nos vicissim obligati sumus ad metalla, quæ in fodinis latent, aut latere putantur, nostro sumptu eruenda ac præparanda.

Si kuckus sunt nulli adhuc reditus, *kukus infæcundus*, vel *pars metallica infecunda*, *e in Zubusskus* dicitur, at *kukus fæcundus*, seu *portio metallica fæcunda*, *e in Ausbeutekux*, si sunt reditus. Quodsi reditus fuerunt uberiores, *kucks dives*, seu *pars metallica dives* appellatur. Eodem sensu *fodina* quoque *fæcunda*, vel *infæcunda* audit.

Emptio spei dicitur contractus, quo ita convenitur, ut, quod certo actu, in quo eventus dubius est, fuerit acquisitum, tuum sit, & tu pro eo, quod incertum est, pretium certum solvas, seu, est emtio rei acquirendæ incertæ.

Missilia dicuntur res, quæ jactantur in vulgus eo animo, ut fiant occupantis.

Quasi contractus dicitur conventio ficta, in qua consensus alterius tantummodo præsumitur.

Negotiorum gestio est quasi contractus, quo quis negotium alienum sine mandato domini proprio motu in utilitatem ipsius gerit, animo eundem sibi obligandi.

Qui negotium alienum sine mandato domini sua sponte gerit animo eum sibi obligandi, dicitur *negotiorum gestor*. Eum vero, cujus negotium geritur, *dominum negotii* vocamus.

Quasi emtio est quasi contractus, quo quis ex consensu domini præsumpto rem sibi vult esse emtam. *Quasi mutuum* est contractus, quo quis ex consensu domini præsumpto rem fungibilem consumit animo eam in genere restituendi. *Quasi locatio conductio* est contractus, quo quis ex consensu domi-

ni præſumpto utitur re ejuſdem animo ſolvendi mercedem, quam conductor alius præſtiturus erat. *Quaſi* locatio *operarum* eſt quaſi contractus, quo quis ex conſenſu alterius ſpræſumto eidem operas præſtat pro eadem mercede, quam pro iis alii locatori præſtare debebat quaſi conducto. *Quaſi uſusfructus* eſt ſervitus perſonalis, qua quis pati cogitur, ut alius re ſua, quæ uſu conſumitur, utatur fruatur, ita ut finito quaſi uſufructu vel rem in genere, vel ejus æſtimationem reſtituat. *Quaſi uſus* dicitur, qui conſtituitur in re conſumtibili, quæ adeo, cum in ſpecie reſtitui non poſſit, in genere reſtituenda, finito quaſi uſu.

Communio incidens dicitur, in quam quidam caſu incidunt, hoc eſt, ſine ulla prævia conventione, quod eadem communis eſſe debeat.

Indebitum dicitur id, ad quod præſtandum alteri non ſumus obligati. *Indebiti ſolutio* eſt præſtatio tamquam debiti, veluti, ſi tibidem quodcumque, ad quod dandum tibi non ſum obligatus, quaſi ad idem dandum tibi eſſem obligatus, aut facio aliquid, ad quod faciendum tibi non ſum obligatus, quaſi ad idem faciendum tibi eſſem obligatus. *Acceptio indebiti*, eſt acceptio ejus, quod nobis non debetur, veluti ſi quis ab altero accipit rem tamquam ſibi debitam, cum tamen alter ad eam dandam ipſi non ſit obligatus, aut patitur, ut alter ſibi faciat, quaſi ad faciendum ipſi eſſet obligatus, cum tamen ad idem faciendum ipſi obligatus non ſit. *Indebite ſolvere* dicitur, qui indebitum ſolvit, ſed *indebite accipere*, qui indebitum accipit.

Ob cauſam dari dicitur, quod datur eum in finem, ut aliquid detur, vel fiat ab accipiente.

Cauſa non ſequi dicitur, quando ab altero non præſtatur, quod ab ipſo præſtandum erat, ſeu quod præſtandum promiſerat, conſequenter ad quod præſtandum ſe obligaverat.

Sine cauſa acceptum dicitur, quod jure accipi non po-

poterat; at *quasi sine causa acceptum*, quod jure quidem accipi, sed non retineri poterat.

Contractus mixtus appellari solet, qui adeo in plures actus resolvi potest, quorum unusquisque per se subsistere potest. Est *principaliter mixtus*, qui per se ex pluribus actibus constat, ex quibus conjunctis nova quædam prodit species ab iis, qui compositionem ingrediuntur diversa, & *per accessionem mixtus*, quatenus actus aliquis per hoc compositus evadit, qui ad alterum accedit.

Colonus partiarius est, qui agrum conducit pro rata fructuum perceptorum.

Obligatio dicitur *tolli*, quando qui alteri obligatus erat ad dandum, vel faciendum, eidem obligatus esse desinit. Sublatio obligationis *liberatio* appellatur.

Solutio est actualis perfecte debiti præstatio. Sed *particularis*, si quod debetur, non totum solvitur sed aliqua tantummodo pars, solutio vero partis alterius differtur in aliud tempus.

Debitum dicitur *liquidum*, si certo constat, quod ad quid præstandum, & ad quid præstandum aliquis sit obligatus, at *illiquidum*, si idem certe nondum constat.

Interpellatio, *Resignatio*, *die Loss. oder Aufkundigunh. Ansfsagung* est actus, quo ex conventione significatur, quod quis alteri ex contractu ultra istud tempus obligatus esse nolit. In specie autem *interpellare debitorem* dicimur, si solutionem debiti ab eo petimus.

Terminus peremptorius dicitur, ultra quem mora nulla indulgetur.

Oblatio debiti verbalis dicitur, si debitor creditori verbis tantummodo declarat, se esse ad solvendum paratum; *realis*, si res debita ipsa fuerit præsens, quam solvere vult debitor creditori; *realis nuda*, si ad oblationem nullus alius actus accedit, *sollemnis*, si res debita actu oblata, sed a debitore non accepta obsignatur, & deponitur.

Ac-

Acceptum ferre dicitur creditor, si sufficienter declarat, se debitum acceptum habere, perinde ac si ipsi revera solutum fuisset. Et tunc debitum *accepto ferri* dicitur debitori, qui *acceptum rogat*, dum rogat, ut debitum sibi accepto feratur. Unde *acceptilatio* est sufficiens creditoris declaratio, quod debitum acceptum habere velit, non secus ac si revera ipsi solutum fuisset.

Pactum de non petendo seu *pactum liberatorium* dicitur, quo inter debitorem ac creditorem ita convenitur, ne debitum sit solvendum, consequenter ne præstetur, quod præstandum erat.

Compensatio est sublatio debiti unius per debitum alterius partis, seu est actus, quo debitor debitum soluturus insolutum imputat creditori, quod ipse debet, seu debitum proprium.

In solutum dari dicitur res, quæ loco ejus rei solvitur, quæ debebatur.

Novatio dicitur mutatio obligationis prioris in aliam eodem creditore ac debitore manente, seu pactum, quo creditor, & debitor inter se conveniunt, ut obligatio prior in aliam mutetur, quoad debiti causam, vel modum debendi.

Delegatio est pactum, quo debitor vice sua alium debitorem expromittentem creditori substituit. Debitor, qui alterum in locum suum substituit, vocatur *delegans*, debitor, qui in alterius locum substituitur, *delegatus*, creditor vero, cui fit delegatio, *delegatarius*.

Assignatio est actus, quo debitor soluturus substituit alium, quem rogat, ut vice sua solvat, vel solvere jubet. Qui vice sua alium ad solvendum substituit, dicitur *assignans* vel *assignator*, qui substituitur, *assignatus*.

Confusio debiti, *& crediti* dicitur, quando contingit, ut, qui erat debitor, idem etiam sit creditor.

Jus controversum dicitur, si duo vel plures eamdem rem tamquam suam, vel sibi debitam prætendunt, vel de quo duo, vel plures inter se litigant.

De-

Decessio a lite gratuita, quando scilicet jus controversum uni creditur, alter vero nihil vicissim accipiat, vocatur *amicabilis compositio*.

Transactio est decessio a lite non gratuita, sed aliquo dato vel retento vel promisso. *Generalis* est, quæ extenditur ad omnes prætensiones generales, quæ sub illa generali comprehendi possunt, sive tum, cum fieret transactio, de iis fuerit cogitatum, sive minus; at *specialis*, quæ ad res certas, sive speciem, sive quantitatem tantummodo restringitur. Est *jurata*, quæ juramento firmatur, *injurata*, quæ juramento non firmatur.

Tractatus dicuntur *deliberationes* de pacto aliquo ineundo.

Mediator est, qui ad rem controversam inter alios componendam operam suam confert, jure eam componendi destitutus. Actus autem, quo compositio a tertio vel perficitur, vel tentatur, *mediatio* vocatur.

Studium partium, *Parteylichkeit* dicitur favor partis seu pravitas affectuum erga alios, & multo magis vitiorum erga alios occultius exercitium; vel vitium pravis affectibus indulgens, quo alterutri parti magis quam alteri favetur. Unde *studiosus partium*, *partialis*, vocatur, qui parti uni magis favet, quam alteri, & *partium minime studiosus*, *impartialis* qui parti uni non magis favet, quam alteri seu qui non indulget pravis erga alios affectibus vitiisque. Qui in suis actionibus, vel amori, vel odio personarum aliquid, vel multum tribuunt, *προσωποληψίαν* exercent.

Compromissum dicitur pactum, quo convenitur, ut stetur eo, quod certa quædam persona, vel plures dixerint.

Arbiter vocatur, qui per compromissum eligitur, ut rem controversam decidat; jus rem controversam decidendi, quod a compromittentibus in eum confertur, *arbitrium*; sententia, qua controversiam decidit arbiter, *laudum*; qui eligitur, ut rem controver-

troverſam componere ſtudeat, non tamen jure eam decidendi, vel componendi in eum translato, *arbitrator*.

Controverſia dicitur *decidi*, quando judicatur cujuſnam ſit res controverſa, vel cuinam quid debeatur aut num debeatur. Igitur *deciſio controverſiæ* eſt judicium, de jure parti uni competente, vel de eo, quod eidem debetur contra partem alteram contradicentem.

Reſpectu perſonarum dicicitur determinatio voluntatis, vel noluntatis per motiva a perſona deſumta, in cujus gratiam aliquid fit, ſepoſita veritate.

Vir bonus dicitur, qui juſtitiam & honeſtatem amat, quidquid vero juſtitiæ ac honeſtati adverſatur, odit.

SCHOL. Vid. DAN. MAICHELII idea viri boni ex lumine naturæ repræſentata, Tubing. 1739.

Quando partes de jure controvertunt, *actor* vocatur; qui jus prætendit, quod pars adverſa ipſi competere negat; *reus* autem, a quo tributio juris petitur.

Inſtrumentum eſt ſcriptura, in quam ea, de quibus paciſcentes inter ſe convenerunt, redacta ſunt, vel factum quoddam, ob quod alteri jus quoddam competit, aut non competit, relatum eſt.

Negotium bilaterale dicitur, quando utraque pars ſeſe ad quaſdam præſtationes alteri obligat; *unilaterale* vero, quando ſaltem una pars alteri ad quaſdam præſtationes ſe obligat.

Inſtrumentum originale dicitur, quod mutuo partium conſenſu confectum, & ab iis ſubſcriptum, ab una parte, ſi unilaterale fuerit; quod vero ab originali deſcribitur, *copia*, *exemplum*, *eine Copey oder Abſchrift*, & *vidimata*, cujus cum originali conformitatem atteſtantur perſonæ fide dignæ.

Protocollum dicitur brevis annotatio rei geſtæ memoriæ cauſa facta.

Char-

Charta blanca dicitur charta vacua, quam a se subscriptam, & sigillo suo munitam quis tradit alteri, ut eam certi negotii causa scriptione sua repleat.

Bacilla fissa, *Kerbholzer* dicuntur, quæ incisis crenis demonstrant, quantum pars una dederit, altera acceperit, vel etiam una alteri præstiterit, quæ ad certum præstationum numerum erat obligata.

Testis dicitur *persona*, quæ ad fidem faciendam de re gesta, seu facto aliquo adhibetur. Est vel *verus*, qui moraliter verum loquitur, vel *suspectu*, qui moraliter verum non loquitur; vel *falsus*, qui moraliter verum non dicturus, vel dicere præsumitur, vel *integer*, in quem nulla cadit suspicio, quod moraliter verum non dicat, vel *corruptus*, qui pecuniam accepit, vel cui pecunia promissa est, ut testimonium pro altero, aut contra alterum afferat, vel *incorruptus* in casu opposito.

Probatio dicitur *plena*, qua factum sufficienter probatur, & *semiplena* quæ non sufficienter probatur.

Pugna dicitur actus, quo duo vi sese invicem impetunt: *in pugna vincere*, qui alterum ab eadem desistere cogit: at *vinci*, qui desistere cogitur. *Duellum* dicitur pugna, de qua duo inter se conveniunt quod per victoriam res controversa decisa vel pugna finita lis dirempta esse debeat.

Ablatio rei alienæ loco suæ vel sibi debitæ, si eam a detentore vel debitore consequi non possumus: *e pletio juris* vocatur.

Precarium dicitur, quod gratis utendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur, & id, cujus usus ita nobis concessus est, *precario habere*.

Consolidatio dicitur acquisitio juris, quod id, quod jam ex alia causa habes, continetur.

Jus pignoris est jus a debitore in re tradita creditori constitutum, ut, nisi debito tempore solvatur debitum, ex eadem ipsi satisfiat. Res *oppignorari* dicitur,

tur, quando istiusmodi jus creditori a debitore in eadem constituitus; ipsa vero res oppignorata *pignus*, &, si libera constituentis voluntate constituitur, *voluntarium*.

Hypotheca jus est jus a debitore creditori constitutum in re non tradita, ut, nisi debito tempore solvatur, inde satisfiat creditori. Res, in qua jus istud constituitur, *hypotheca*, *specialis* quidem, quæ constituitur in re certa in specie, *generalis* autem, quæ constituitur in omnibus bonis tam præsentibus, quam futuris, res autem, in qua hypothecæ jus constituitur, etiam *oppignorari* dicitur.

Pars pretii pignoris, quæ id, quod creditori debetur, excedit, *hyperocha*, *der Verberschuss*, appellatur.

Pignus luere dicitur debitor, si debitum solvit, *solvi* vero, quando res oppignorata liberatur ab obligatione sua, ut adeo non amplius maneat obligata pro eo debito, pro quo eidem obligata fuerit. Hinc *luitio pignoris*, vel *hypothecæ* est solutio debiti, in cujus securitatem constitutum pignus vel hypotheca.

Contractus pignoris dicitur, quo debitor creditoris tradit rem in securitatem debiti, debito soluto in specie restituendam, & *pignus* pacto constitutum *conventionale*; *hypothecarius* vero, quo debitor jus hypothecæ constituit creditori in re sua, vel alius loco creditoris, & *hypotheca* hoc modo constituta *conventionalis*.

Antichresis est jus re oppignorata utendi fruendi loco pecuniæ creditæ. Pactum, quo hoc jus in creditorem confertur, *pactum antichresticum*, vel *antichreseos*, & creditor, qui hoc pacto credit pecuniam, *creditor antichresticus* vocatur. Hoc pactum est vel *expressum*, si expressis verbis ita conveniatur, ut loco pecuniæ creditæ pignore uti liceat in vicem usurarum, vel *tacitum*, si res fructifera pignori traditur, sine fructuum reservatione, pecunia accepta sine usurarum promissione.

Fructuarius dicitur, qui re fruitur, seu fructus ex eadem percipit, sive ea fuerit per se fructifera, sive fructiferis accenseatur propter pensionem, quæ pro usu solvitur.

Prædium dicitur res immobilis quæcumque, quæ ob fructum certum, quem nobis præstat, aut usum pecunia æstimabilem, qui instar fructus est, possidetur. Est vel *rusticum*, quod usum rusticum præstat, vel *urbanum*, quod urbanum.

Usus rusticus dicitur, qui ad rem agrariam, & pecuariam, sed ad œconomiam ruralem pertinet; *urbanus* vero, qui ad habitationem, commercia, opificia spectat.

Servitus, quæ est jus in re aliena constitutum, quo ejus dominus ad alterius utilitatem aliquid pati, vel non facere tenetur, est *personalis*, quando res aliena servit certæ personæ, & *realis* seu *prædialis*, quando eadem servit rei alteri, seu prædium unum servit prædio alterius; *perpetua*, quæ constituitur in omne tempus, & *temporaria*, quæ constituitur in certum; *affirmativa*, quando dominus rei servientis pati tenetur, ut alter quid faciat; *negativa*, si alter pati non tenetur, ut dominus rei servientis quid faciat.

In servitute prædiali *prædium* dicitur *serviens*, quod servit alteri seu eidem quædam in utilitatem suam permittit, quæ dominus permittere vi dominii non tenebatur, aut domino adimit quædam faciendi libertatem, quæ alias jure dominii facere poterat; *dominans* autem, cui servit alterum, aut utilitatem quamdam præstat.

Fundus dicitur *servus*, qui servitutem debet, seu aliqua servitute premitur; *liber*, qui nulli servituti obnoxius; *optimus maximus*, qui ab omni servitute, & obligatione pignoris seu hypothecæ immunis est.

Servitus prædiorum urbanorum est, quæ prædiis urbanis a vicino prædio debetur; *rusticorum*, quæ rusticis.

Fenestra dicitur *perspectiva*, per quam prospectus datur in alia loca; *lucifera* vero, per quam lumen immittimus in ædes nostras.

Ire dicitur non solum, qui propriis sed, & qui alienis pedibus incedit. *Iter*, *der Fussteig* est servitus, qua pati cogimur, ut homo per prædium nostrum eat ad suum ipsius prædii causa.

Actus, *der Trieb*, *Viehtrieb*, est servitus, qua quis pati cogitur, ut alterius prædii dominus jumentum vel vehiculum agat per prædium ipsius ad suum. Est *plenus*, si cui licet per prædium alienum ad suum agere non modo pecora atque armenta sola, verum etiam jumenta vehiculo juncta; *minus plenus*, si cui saltem licet per prædium alienum ad suum agere pecora, & armenta sola, non vero vehiculo juncta.

Via, *ein Fahrvveg*, dicitur servitus, qua quis pati debet, ut per prædium ipsius ad tuum non modo eas, & agas, verum etiam ad prædium tuum vehas, ducas, feras atque trahas, quæcumque ad utilitatem prædii tui faciunt.

Aquahaustus est servitus, qua quis pati cogitur, ut alius ex puteo aliove loco ipsius ad fundi sui necessitatem aquam hauriat. Est *plenus*, si aquam omnem ad prædii nostri necessitatem ex puteo alieno, vel alio loco haurire licet, & *minus plenus*, si aquam nonnisi ad certos usus ex puteo alieno haurire licet, vel certa saltem anni tempestate..

Aquaductus est servitus, qua pati cogimur, ut quis per fundum nostrum aquam ducat ad utilitatem sui fundi modo quocumque.

Pecoris ad aquam appulsus, *Viehtrancke*, est servitus, qua pati cogimur, ut peccora alieni prædii aquandi causa appellantur ad fontem, vel etiam aquam nostram.

Jus pascendi est servitus, qua pati cogimur, ut quis pecora prædii sui pascat in prædio nostro.

Jus calci coquendæ est servitus, qua pati cogi-

mur, ut quis calcem coquat in fundo nostro ad commoditatem prædii sui.

Jus arenæ fodiendæ est servitus, qua pati cogimur, ut quis ad utilitatem prædii sui ac indigentiam in fundo nostro arenam fodiat.

Jus pedamenta sumendi est servitus, qua pati cogimur, ut quis ex silva nostra ad utilitatem nostram sumat adminicula arborum, vel vitium ac perticas lupulum, vel fabas excipientes.

Jus lapides cædendi est servitus, qua pati cogimur, ut quis lapides cædat in fundo nostro ad utilitatem prædii sui.

Jus lignandi est servitus, qua pati cogimur, ut quis ligna ad certum usum cædat in silva nostra ad utilitatem prædii sui, cui affine est jus colligendi, & percipiendi ramos aridos e quercubus, & aliis arboribus.

Jus glandis legendæ est servitus, qua pati cogimur, ut quis in silva nostra legat glandes in utilitatem prædii sui, cui affine est jus poma silvestria legendi, item *nuces avellanas*, *juglandes & castaneas*.

Jus venandi est servitus, qua pati cogimur, ut vicini prædii dominus, vel qui jus ejus habet, venetur in fundo nostro vel silva nostra.

Usufructus, qua est servitus personalis, qua dominus pati cogitur, ut alius re sua utatur fruatur, salva substantia; est *plenus*, si omne jus utendi fruendi in usum fructuarium transfertur sine ulla restrictione; *minus plenus*, si jus illud restringitur ad certos actus, cæteris usufructuario non concessis, vel ita ut certus usus seu fructus certi sint ademti. Qui usumfructum habet, *usufructuarius* seu *fructuarius* dicitur. *Omnium bonorum usufructus* dicitur, qui constituitur in omnibus seu universis bonis constituentis.

Silva, quæ succisa ex stirpibus, & radicibus renascitur brevi quodam annorum numero, *cædua*; *non cædua* dicitur, quæ arboribus frugiferis atque

atque annosis, quæ succisæ non nisi longo annorum intervallo nascuntur, constat.

Si duo jura ad idem jus spectantia separatim existunt, quando conjunguntur, *consolidari* dicuntur, & ipsa hæc conjunctio *consolidatio* appellatur.

Re uti dicitur, qui ex ea percipit ea commoda, & emolumenta, quibus ipse cum suis indiget ad vitæ necessitatem, & commoditatem.

Usus dicitur servitus personalis, qua quis pati cogitur, ut alius re sua, sive ea fructifera fuerit, sive minus, utatur, salva substantia, & is, cui usus constituitur, *usuarius* appellatur. *Usus* dicitur *plenus*, quo ex re aliena capere licet, quidquid ad quotidianam vitæ necessitatem ac commoditatem requiritur, & *minus plenus*, quo certa quædam pars emolumentorum ex re percipiendorum usuario conceditur ad sublevandam vitæ necessitatem.

Habitatio est servitus personalis, qua dominus pati cogitur, ut alius in ædibus suis, sive integris, sive in aliqua eorum parte habitet. Cui servitus hæc constituitur, *habitator dicitur*.

Dominium utile, *das Nutzbahreigenthum*, *Mindereigenthum* dicitur, in quo jus utendi fruendi prorsus liberum, seu nullo modo restrictum; proprietas vero aliquo modo restricta est ad alium. Qui hoc habet, *dominus utilis* appellatur.

Dominium directum, *das Grundeigenthum*, *Mehrereigenthum* est pars proprietatis, quę per ejus restrictionem domino utili ademta ad alium pertinet. Qui hoc habet, *dominus directus* vocatur.

Emphyteusis, *Erbzinsrecht*, *Erbleihe* est dominium utile in re immobili sub conditione certæ pensionis annuę in recognitionem dominii directi præstandæ concessum, cum proprietate certa lege restricta. Res, in qua emphyteusis constituta, dicitur *emphyteutica*, *emphyteuticaria*, *bonum emphyteuticarium*, *Erbzinsgut*. Is, qui emphyteusin in re habet,

I 3 em-

emphyteuta, *der Erbzinsmann*; is vero, qui emphyteusin habet, *dominus emphyteuseos*, *der Erbleiherr*, *Erbzinsherr* vocatur. Pensio, quæ in cognitionem dominii directi solvitur, *canon*, & cum addito, *canon emphyteuticus* appellatur. *Contractus emphyteuticus* vocatur, quo emphyteusis constituitur, & acquiritur, consequenter quo dominium utile sub conditione canonis certi in recognitionem dominii directi præstandi in alterum transfertur, cum proprietate certa lege restricta.

Honorarium, quod pro renovatione contractus emphyteutici domino directo solvendum, dicitur *laudemium*, *Lehnwahr*, *Lehngeld*.

Emphyteuticatio vocatur constitutio emphyteuseos in re adhuc libera ab emphyteusi; at *subemphyteuticatio* constitutio emphyteuseos in re, in qua emphyteusin habet constituens, & emphyteusis in emphyteusi constituta *subemphyteusis*.

Contractus libellarius dicitur, quo dominus alteri rem suam certo interveniente pretio ea lege dat, ut quotannis certum canonem solvat, ac stato tempore, possessore licet non mutato, contractum certo pretio vel arbitrario numerato renovet. *Jus*, quod ex isto contractu acquiratur, *libellarium* vocari solet.

Dominum juris libellarii appellare lubet eum, cui canon, & pretium pro renovando contractu libellario solvendum. *Rem libellariam*, quæ ex contractu libellario habetur, seu in qua jus libellarium constitutum.

Jus censiticum est jus annui reditus ex re aliena immobili recipiendi; ipse autem reditus *census* vocatur. Quando rem immobilem vendens dominus per pactum adjectum censum in eadem sibi reservat, *census reservativus* appellari solet. Quando autem quis censum in re aliena sibi emit, aut sibi donatum accipit, *census constitutivus*. Res immobilis, quæ censum debet, dicitur *bonum censiticum*, *ein Zinsgut*, qui censum solvere tenetur, seu bonum

num censiticum possidet, *censualis*, *ein Zinsmann*; qui vero jus censiticum habet, *dominus census*, *der Zinsherr*, *contractus*, quo de censu convenitur, *censualis*.

Jus superficiei seu *superficiarium*, *Platzrecht*, est jus habendi suo sumtu ædificium in solo alterius. Qui jus superficiei habet, *superficiarius*, *der Boden-zinsmann*, & iis, qui dominium fundi habet, *dominus fundi* seu *soli*; *der Grundherrer*, vocatur. At pensio annua, quam superficiarius domino fundi pro usu ejus solvit, *solarium*, *Bodenzius*, *Grundzins*. *Contractus superficiarius* est, quo de jure superficiario, quod constituitur, inter se conveniunt superficiarius, & dominus superficiei, seu quo jus superficiei constituitur, & acquiritur. *Ædes superficiariæ* dicuntur, quas habere licet in solo alieno.

Pensiones, quæ ita promittuntur, ut solutione stato die non facta, postea ob moram certa lege continuo augeantur, *pensiones promobiles*, *Rutzscherzinsem* appellantur.

Servitus oneris ferendi est, qua vicini paries vel columna onus ædificii nostri sustinere tenetur.

Servitus ligni immittendi, *das Traamrecht* dicitur, qua trabem, vel quid aliud, quod contignationi ædium inservit, in parietem vicinum immittere licet, ut in eo requiescat.

Servitus projiciendi dicitur, qua aliquod ædificatum alienæ areæ aut eidem superstructo imminet, seu supra eam projicitur, in vicinis tamen ædibus nusquam requiescit.

Servitus altius tollendi est, qua dominus prædii dominantis prohibere potest, ne dominus prædii servientis ædes suas altius tollat.

Servitus luminum vocatur, qua quis fenestras etiam in suo aut communi pariete excipere cogitur, quibus lumen haurimus, & cœlum contuemur.

Servitus ne officiatur luminibus dicitur, qua quis in suo facere non potest, quo ædium nostrarum quævis lumina obscurentur, & imminuantur.

Servitus prospiciendi seu *prospectus* dicitur, qua vicinus pati tenetur, ut ex ædibus nostris in ejus prædium prospiciamus.

Servitus ne prospectui officiatur vocatur, qua quis in prædio suo nil facere potest, quo liber prospectus in loca quædam vicino grata atque amœna ullo modo impeditur.

Servitus stillicidii avertendi est, qua quis pati cogitur, ut vicinus aquam ex tecto suo destillantem, vel per canales defluentem in tectum, aream, vel cloacam suam derivet; *non avertendi* seu *non recipiendi* est, qua quis stillicidium suum alio, quam in ædes vel hortum tuum dirigere nequit.

Servitus cloacæ immittendæ dicitur, qua quis pati cogitur, ut colluviem sordidam in sua area collectam vicinus in ipsius aream immittat.

Servitus cloacæ habendæ dicitur, qua vicinus pati cogitur, ut juxta parietem ipsius cloacam habeamus.

Servitus sterquilinii habendi est, qua vicinus cogi patitur, ut sterquilinium habeas juxta parietem ipsius.

Servitus eluviei recipiendæ dicitur, qua quis pati cogitur, ut eluvies ex fundo nostro immittatur in fundum vicinum.

Servitus aquæ educendæ est, qua pati cogimur, ut quis aquam superfluam, vel inutilem ex fundo suo educat per nostrum.

Fidelis alteri dicitur, qui ad officia quævis humanitatis, ac præsertim, quibus damna quævis avertuntur, ac commoda promoventur, præstanda, &, si qua specialiter conventa fuerint, promtus est. Promtitudo ista officia præstandi, vel etiam complexus istorum officiorum, *fidelitas* vocatur.

Feudum vocatur dominium utile in re sua alteri a domino concessum sub conditione fidelitatis mutuæ; *quasi feudum*, quod constituitur in re per se ad infeudandum minus apta, seu quæ ad infeudandum apta efficitur arte.

Res

Res infeudari dicitur, in qua feudum constituitur. Unde *infeudatio* est constitutio feudi in re aliqua.

Res feudalis, ein Lehngut, dicitur, in qua feudum est constitutum.

Qui dominium directum in re feudali habet, dicitur *dominus feudi*, & qui utile habet, *vasallus*.

Substantialia feudi vocamus determinationes essentiales, per quas feudum in genere concipitur; *naturalia*, determinationes essentiales, quæ differentiam constituunt; specificam feudi communiter auctoritate legis vel moribus recepti; *accidentalia*, determinationes essentiales, quæ constituunt differentias specificas specierum feudorum a specie juris auctoritate vel moribus communiter recepta diversarum.

Quando dominus alteri constituit feudum in re sua, *feudum* dicitur *datum*: *oblatum*, quando danti constituitur feudum in re data; *censionale* seu *pensionarium*, si vasallus loco servitiorum quotannis certum canonem præstare tenetur: *francum*, *Freylehn*, si vasallus ad nulla servitia præstanda domino obligatur; *ligium*, si vasallus domino servitia præstare tenetur contra omnes; si vero quidam excipiantur, contra quos illa præstare non tenetur, *non ligium novum*, quod vasallus primum acquisivit; *antiquum*, quod ex lege contractus feudalis ab alio in ipsum delatum fuit; *emtum*, quod pro certo pretio per contractum emtionis venditionis fuit comparatum; *masculinum*, quod masculus primum acquisivit. seu quod pro solis masculis constitutum, ita ut ex lege contractus in feminam numquam deferri possit; *femininum*, quod femina acquisivit, seu pro solis feminis constitutum; *mixtum*, quod mas, & femina simul primum acquisivit; seu quod pro masculis, & feminis simul constitutum; *pignoratitium*, *Pfandlehn*, quando dominus, cui pecunia creditur, loco pignoris feudum in re constituit sua, *de cavena*,

quod

quod ita constituitur, ut alicui ex cella domini certa vini, vel ex horreo, aut penuario ejus certa frumenti portio ad dies vitæ præstatur, *soldata*, quo ex gratia alicui certa pecunia, vinum, vel annona quotannis prestatur; *habitationis*, quando jus habitandi in domini ædibus alicui ad dies vitæ conceditur; *pecunia*, quod in pecunia constituitur; *contractus feudalis*, quo de feudo, quod constituitur, inter se conveniunt dominus feudi, & vasallus, seu quo feudum constituitur, & acquiritur.

Servitia feudalia vocantur, quæ vasallus domino ex contractu feudali præstare tenetur.

Res allodialis vocatur, in qua quis plenum dominium habet. *Allodium* significat possessionem alicujus propriam, seu universa, quæ quis pleno jure possidet.

Traditio rei feudalis seu ipsius contractus feudalis celebratio, præsertim si in eodem traditio continetur, *investitura*, *die Belehnung*, *Lehnempfangnis* dici solet.

Si contractus feudalis in scripturam redigitur, instrumentum hoc *breve testatum*, *littera investiture*, *ein Lehnbrief* appellatur. *Laudemium*, honorarium, quod pro renovatione contractus feudalis domino solvendum.

Feudum in re feudali constitutum alteri dicitur *subfeudum*, *ein Afterlehn*, & res feudalis *subinfeudari*, quando feudum in eadem alteri constituitur. Sed vasallus, cui res feudalis datur, *subvasallus*, *subinfeudatus*, *ein Afterlehnmann*, Vasallus, qui rem feudalem subinfeudat, *dominus subfeudi*, *Contractus subfeudalis*, aut *subinfeudationis* est, quo de subfeudo inter se conveniunt vasallus & subvasallus, seu dominus subfeudi & subvasallus.

Successor feudalis dicitur is, ad quem vi legis constitutionis mortuo vasallo feudum devolvitur.

Feudum aperiri dicitur *domino*, si successor feudalis deficit, consequenter, si nullus extiterit, ad quem vi legis constitutionis mortuo vasallo feudum devol-

devolvitur. Ideo *apertura feudi* est vacuitas juris succedendi in feudo.

Feudum dicitur *apertura proximum*, si spes sit fore, ut aperiatur.

Feudum revocari dicitur, si quis jure compellitur ad rem feudalem constituendum, feudo in ipsum translato. Itaque *revocatio feudi* est jus, eum in quem translatum fuit, compellendi ad rem feudalem restituendum. Actus, quo revocatur, est exercitium hujus juris.

Feudum refutare dicitur vasallus, si significat domino, se id diutius habere nolle, sive simpliciter, sive in favorem tertii.

Obligatio feudalis dicitur, quæ ex contractu feudali oritur, & in mutua obligatione vasalli & domini *nexus feudalis* consistit.

Omne factum tam positivum quam negativum obligationi feudali contrarium *felonia* dicitur.

Interpretari idem est ac certo modo colligere, quid quis per verba sua aut alia signa indicare voluerit. Interni actus animi tam intellectus quam voluntatis, aut, si mavis, facultatis cognoscendi, & appetendi ac aversandi verbis, quæ quis ore profert aut scribit, respondentes dicuntur *mens loquentis*. Atque adeo *interpretari verba alterius* idem est ac mentem ejus investigare. Unde *interpretatio* est investigatio mentis per verba aliaque signa indicatæ. Hæc est *recta*, quæ fit per regulas interpretandi certas, *extensiva*, qua ob identitatem rationis sufficientis volitionis & nolitionis mens ejus, qui locutus est, extenditur ad casus, sub verbis, quibus promissio, pactum vel lex continetur, secundum totam eorumdem proprietatem minime comprehensos; *restrictiva*, qua causa aliquis sub verbis legis vel pacti quidem comprehensus, ob defectum tamen rationis sufficientis, cur legislator, vel paciscens hoc fieri voluit, vel noluit, excipitur.

Etymologia est expositio originis vocabulorum.

Signi-

Significatus etymologicus, vel *gramaticus* dicitur, qui petitur ab etymologia.

Sicuti diversus ejusdem vocis significatus *homonymia* sive *æquivocatio* dicitur, ita complexio plurium vocum, sive integræ orationis *amphibolia* vocatur.

Si verba quædam aut verborum complexio nunc pauciora nunc plura significat, in priori casu *significatum strictiorem*, in posteriori *latiorem* habere dicuntur.

Favorabile dicitur, quod ad utilitatem alicujus promovendam facit, *odiosum*, quod ad utilitatem alicujus promovendam non facit, eumque onerat, *mixtum*, si favor & odium concurrunt.

Fraudem legi vel pacto facere dicitur, qui quidpiam facit, quod verbis quidem legis vel pacti non repugnat, menti tamen legislatoris vel paciscentis adversatur.

Jus ex communione primæva residuum vocatur, quod, postquam dominia rerum introducta sunt, nobis adhuc competit in eas res, quæ sunt in aliorum dominio.

Jus necessitatis est, cui sola necessitas locum facit, ad actus quosdam alias non licitos. propterea quod sine iis obligationi cuidam indispensabili satisfieri minime posset.

NOT. Vid. MAICHELII diss. II. de jure necessitatis. Tubing. 1742. 1746.

Naulum dicitur merces, quæ solvitur pro vectura in navi, nimirum ut merces in locum destinatum devehantur; *vector*, qui in aliena navi pretio vehitur.

Jactus temerarius dicitur, si quis culpa sua in mare quid projecit, *læsivus*, si quis dolo rem alterius; *meticulosus*, si quis mari non adsuetus a periculo naufragii sibi metuit, ubi metuendum non est, ac propterea navis levandæ causa jactum facit; *non pure necessarius*, quando periculum navi quidem revera imminet, sed casum fortuitum culpa præ-

præcessit, aut periculo causam dedit, ut jactum fieri necesse sit; *necessarius*, qui fieri debet, quando periculum navi revera imminet, cui nulla culpa causam dedit, aut quod culpa nulla præcessit.

Contributio, quæ datur ob jactum mercium, vel ad resarciendum damnum, quod quis in itinere maritimo aliter navis, & omnium causa, qui res in nave habent, sustinuit, *avaria*, & *grandis*, quando etiam navis in contributionem venit, & *communis* vocatur quando tantummodo contribuunt, qui merces seu res in nave habent.

Innoxia utilitas dicitur, quæ percipitur sine detrimento alterius ac molestia, & *res innoxiæ utilitatis*, quæ accipienti utilis, dantem tamen non gravat, seu nullum, ei detrimentum, aut molestiam affert. Jus, quod nobis competit ad res innoxiæ utilitatis, quæ sunt alterius, dicitur *jus innoxiæ utilitatis*.

Jus transmissibile appellamus, quod amissum ab eo, qui habuit, in alium abit, *non transmissibile* vero, quod amissum ab eo, qui habuit, in alium abire nequit. Quando itaque contingit, eum mori, qui jus habuit, in casu priore *jus morte ejus in alium transmiti* dicitur, immo dicimus etiam *morientem jus suum transmittere in alium*.

Mortuus sepeliri dicitur, qui quoquo modo conditur, in specie autem *humari*, qui humo contegitur.

Sepultura dicitur actus, quo mortui a vivis remoti conduntur. Sed *sepulcrum* locus est, in quo corpus mortuum conditur, vel ossa cremati cum cineribus conduntur.

Monumentum in genere dicitur, quidquid memoriam rei præteritæ conservat, aut posteritati mandat. Unde *monumentum mortui* seu *ejus causa factum* dicitur res, quæ mortui memoriam posteritati mandat. *Epitaphium* vero est inscriptio supra sepulcrum seu in monumento in laudem vel memoriam mortui facta.

Exequiæ vocantur actus solemnes, quo corpus mortui effertur in eum locum, ubi conspectui vivorum subducendum, veluti ad sepulcrum, si mortui sepeliuntur, vel ad rogum, si comburi solent. *Funus* vero pompa exequiarum, ut adeo ad funus referantur actus omnes, qui corporis sepeliendi causa fiunt.

Funus imaginarium seu *cenotaphium* vocatur, quod ducitur cadavere absente; *legitimum*, quando cadaver, seu corpus defuncti adest. Adeo *funus imaginarium ducitur*, sepultura jam clam sine ulla pompa facta.

Honor humanitatis dicitur, qui homini defertur, quatenus homo est, consequenter in actibus consistit, quibus significamus, nos agnoscere, quod alter sit homo.

NOT. Vid. GEORG. GOTHOFR. REUFFEL. diss. de honore humanitatis. Helmst. 1752.

Cœmeterium sepulcretum, dicitur locus, ubi corpora mortuorum promiscue humari solent, vel ubi sunt sepulcra.

Factum illustre dicitur, quod eminentem aut minime vulgarem gradum virtutis cujusdam intellectualis aut moralis supponit.

Cenotaphium dicitur monumentum mortui, quo ejus corpus vel ossa, aut, si cadavera cremari mos est, cineres continentur.

Oratio funebris, *Parentatio* dicitur, quæ habetur in funere in laudem ac memoriam defuncti.

Cerimoniæ funebres dicuntur, quæ in funeratione adhibentur; *universales*, quæ in omni funeratione adhiberi possunt; *singulares*, quæ personam mortui in singulari respiciunt.

Rituum nomine in genere veniunt, quæ actu quodam abesse possunt, moribus tamen in eodem recepta sunt. Hinc *ritus funebres* dicuntur, quæcumque moribus introducta sunt, in sepeliendis mortuis, sine quibus tamen sepeliri possunt.

Lugere dicimur, quando actibus externis tristitiam indica-

indicamus. Unde *luctus* dicuntur actus externi, qui tristitiam indigitant. Actus illi sunt vel *naturales*, qui per essentiam ac naturam corporis humani tristitiam comitari solent, vel *voluntarii*, quatenus quibusdam actibus significatum tristitiæ imponimus.

Sectio cadaverum seu *anatomia* est actus, quo corpora & membra ita dissecantur, ut singula organa & horum partes a se invicem separentur.

Sceletus dicitur cadaver decarnatum, sola ossium compage constans.

Jus, quod certa lege in aliquem transmittitur, dicitur *providentia majorum quæsitum*.

Posteri in genere dicuntur, qui mortuis iis, qui jam vivunt, denuo nascuntur, in specie *posteri tui*, qui te mortuo per nativitatem a te descendunt, ex adverso *majores*, qui ante parentes nostros vixerunt.

Eruditum vocamus, qui rerum cognitionem, ac scientiam; *ICtum*, qui juris, *medicum*, qui sanitatis ac morborum & modi illam conservandi, hos curandi, *physicum*, qui rerum naturalium, *litteratorem*, qui linguarum, *historicum*, qui rerum singularium in primis hominum in singulari, *rhetorem*, qui artis oratoriæ habet.

Eruditi vulgares seu *triviales*, *gemeine Gelehrte*, *Gedaechtnisgolehrte*, sunt, quatenus memoria tantum comprehendunt ea, quæ cognoscunt; *secundi* seu *medii ordinis*, *solide eruditi*, *grundlich Gelehrte*, qui philosophicam, immo etiam mathematicam rerum cognitionem habent. *Primi ordinis*, *inventores*, *grosse Gelehrte* sunt, qui habitu veritates adhuc latentes inveniendi pollent.

Artes liberales vel *ingenuæ* dicuntur, quæ usu facultatum cognoscendi potissimum exercentur; *illiterales*, *sordidæ*, *manuariæ*, quæ manuum opera, & viribus corporis, seu usu facultatis locomotivæ exercentur; *mixtæ*, *mediæ*, quarum aliæ ad liberales, aliæ ad manuarias propius accedunt, ac inter-

ac manuarias quasi mediæ sunt atque ab utrisque participant.

Dantur etiam diversa vitæ genera, quæ eruditi sequuntur. Alii enim alios docent, qui certam rerum cognitionem, ac scientiam sibi acquirere volunt, vel ad eam perducendi sunt, veluti *professiores, concionatores, didascalici*. Alii certam rerum cognitionem, quam habent, ad casus obvios applicant, veluti *judices*, & *advocati*; qui leges ad facta applicant, ut unicuique jus suum tribuatur; & *medici*, qui morbis curandis operam navant, seu artem salutarem exercent. In eumdem censum veniunt, qui negotia publica agunt, rerum civilium cognitionem ac scientiam, quam habent, ad eadem applicantes, veluti *consiliarii* regum ac principum aliique *magistratus*. Alii denique in otio litterato vivunt, & vel contenti sunt voluptate, quam ex certa rerum cognitione percipiunt, vel in veritatibus cognitis in usum aliorum propagandis, aut novis inveniendis operam suam collocant.

Studere dicitur, qui rerum cognitioni ac scientiæ operam dat, hinc *studiosus*, qui studet, seu rerum cognitioni ac scientiæ acquirendæ operam dat.

Veritatis defensor non est, nisi qui demonstrare vatet, eam ab altero non esse refutatam, aut refutari non posse.

Bellum litterarium dicitur, quando duo vel plures eruditi de veritate vel falsitate alicujus propositionis inter se disceptant.

Societas in genere est pactum vel quasi pactum de fine quodam conjunctis viribus consequendo, seu ipsa multitudo hominum finis cujusdam consequendi causa consociatorum, seu sibi mutuo promittentium, quod conjunctis viribus finem quendam, ut consequantur studere velint. Est *simplex*, cujus membra sunt personæ singulares, *composita*, cujus membra sunt societates integræ & vel *minor*, cujus membra sunt societates simplices vel *major*, cujus men-

membra ſunt ſocietatis compoſitæ ; *æqualis*, in qua ſociorum omnium eædem ſunt obligationes ac jura eadem; *inæqualis*, in qua unius ſocii plures ſunt obligationes, vel jura plura, quam alterius, ſeu in qua non omnes ſocii iiſdem obligationibus teneutur, nec eodem utuntur jure ; *naturalis*, quam ipſa natura inter homines inſtituit, & *magna*, quam inter homines promiſcue omnes inſtituit; *temporaria*, quæ ad certum tempus contrahitur, vel cujus finis certo tempore elapſo ceſſat, aut nonniſi ſemel obtineri poteſt vel debet, & *perpetua*, cujus finis perpetuus eſt ac ſemper obtineri poteſt, quæque hujus gratia in perpetuum contracta. Non impeditus progreſſus ad finem ſocietatis conſequendum *ſalus ſocietatis*. Ipſe autem finis, cujus gratia ſocietas contracta, *commune bonum* illius ſocietatis.

Societas inter marem ac feminam ſobolis procreandæ ac educandæ cauſa inita dicitur *ſocietas conjugalis* ſive *matrimonium*.

Societas herilis dicitur, quæ inter herum, vel heram, & famulos atque famulas intercedit.

Socii, vel *membra ſocietatis* dicuntur, qui ſocietatem ineuntes, ſeu intra quos ſocietas ſubſiſtit. Sunt *intrinſece inæquales*, quorum omnia jura eadem ſunt, & qui iiſdem prorſus obligationibus tenentur, & *extrinſece*, qui ceteroquin æquales ſola præcedentia differunt.

Obligatio ſociorum communis eſt, qua tenentur omnes ea pro virili facere, quæ ad conſequendum finem ſeu bonum commune requiruntur, & *propria*, ſi in ſpecie conventum, ut is quædam faciat, quæ ad finem ſeu bonum commune conſequendum requiruntur.

Declaratio voluntatis ſuæ de eo, quod plurium conſenſu determinandum, dicitur *ſuffragium* ſeu *votum*. Eſt *adfirmativum*, quo quis declarat, ſe velle, ut quid fiat, vel ſuam de eo, quod fieri debet, voluntatem, & *negativum*, quo quis declarat, ſe

 nol-

nolle, ut quid fiat, seu suam de eo, de quo consultatur, noluntatem. *Vota consentientia*, dicuntur eorum, quibus idem placuerit, seu qui ejusdem sunt sententiæ; at *dissentientia* eorum, quibus diversa placent, aut quorum sententiæ in diversum abeunt. *Unanimia*, quando vota omnium consentientia sunt. *Majora* sunt consentientia majoris partis, & horum conjunctio *pluralitas*. *Minora* consentientia partis minoris eorum, qui suffragia ferunt . *Paria* quando consentientium ac dissentientium idem est numerus, seu quando pro utraque contradictionis parte, vel duabus sententiis totidem sunt vota. Quando vota inter se contendunt, *meliora* eorum dicuntur *vota*, quorum de eo, quod fieri debet, judicium verius est. *Ponderari*, quando inquiritur, quænam sint meliora. *Votum decisivum* dicitur, quo paria vertuntur in majora suffragia. Si velint ab aliis suffragatoribus agnosci, cujusmodi tulerint, *aperta*; at *occulta*, & *αδέσποτα*, si declinandi mali causa malint ignorari ab aliis suffragatoribus. Illa, verbis declarata, *expressa*, factis vero designata, *tacita* dici possunt.

Negotium dicitur complexus omnium actionum ad aliquid obtinendum, vel efficiendum requisitarum. *Negotium exitum habere* dicitur, quando id obtentum, vel effectum fuit, cujus obtinendi, vel efficiendi causa agebamus.

Consultantes *concludere* dicuntur, quando votis inter se collatis determinatur, quid fieri aut non fieri debeat. Unde *conclusum* dicitur, quod fieri aut non fieri debet per vota determinatum, vel determinatio ejus, quod fieri aut non fieri debet per vota seu sententiam consultantium de eo, quod fieri, vel non fieri debet, ex votis illata. Est *legitimum*, vel etiam *justum*, quod secundum leges de jure votandi sancitas, aut mores factum.

Calculus minervæ dicitur decisio negotii controversi per paritatem votorum.

Concordes dicuntur, qui ejusdem sunt animi, seu

ſeu quorum eadem eſt voluntas, & noluntas, & *diſcordes*, qui non ſunt ejuſdem animi, ſeu quorum diverſa eſt voluntas, & noluntas. Unde *concordia* eſt identitas animorum ſeu voluntatis ac noluntatis in diverſis ſubjectis, & *diſcordia* diverſitas animorum, ſeu voluntaris ac noluntatis in diverſis ſubjectis.

Adjutorii nomine veniunt actus, quibus, vel ad factum alterius concurrimus, vel bonum alterius promovemus. Ideo *mutuum adjutorium* eſt, quod duo vel plures ſibi invicem præſtant, veluti ſi unus concurrit ad facta alterius, & hic viciſſim ad facta illius, & unus promovet bonum alterius, & hic viciſſim bonum illius.

Subjectus dicendus eſt is, in quem alter imperium habet.

Exercitium imperii *regimen* dicitur; is, cui in ſocietate imperium defertur, ut id exerceat, *rector ſocietatis*.

Leges fundamentales ſocietatis appellantur, quæ conduntur de modo imperium exercendi.

Fornicatio ſeu *ſcortatio* dicitur concubitus cum meretrice, *meretrix* autem femina, quæ ſe pluribus proſtituit, ſeu plures ad ſecum concumbendum admittit.

Lupanarium dicitur domus, in quo meretrices proſtant.

Sodomia dicitur concubitus cum beſtia, *pæderaſtia* concubitus maris cum mare; *maſtupratio* actus, quo homo propriis manibus, vel alio inſtrumento ſe polluit, ſeu venerem ſecum exercet. Mares hoc facientes dicuntur *molles*, feminæ autem *tribades*.

Voluptas venerea dicitur, quæ ex concubitu, vel actibus venereis percipitur. Vocantur autem *actus venerei*, non modo ii, qui ad concubitum requiruntur, ideoque ſimul ſumti concubitum abſolvunt, verum etiam alii, qui quomodocumque ad concubitum referuntur. Cupido vo-

luptatis venereæ ſeu eam percipiendi *libido* appellatur.

Caſtitas virtus eſt, qua non appetitur concubitus, niſi ſobolis procreandæ gratia.

Studium infantem conſervandi ut adoleſcat, & aptum efficiendi ad ſibimetipſi proſpiciendum de iis, quibus ad conſervationem ſui indiget, & ad actiones ſuas ſecundum naturæ legem determinandum, ſeu ſtudium infantem aptum ex ſeſe ad vitam hominis vivendum efficiendi, *educatio* dicitur.

Amor iſte naturalis; quo bruta ac homines proſequuntur prolem ſuam, *στοργὴ* appellari ſolet.

Concubitus promiſcuus dicitur, ſi femina quemvis concumbere ſecum volentem admittit.

Spadones, ſive *caſtrati* dicuntur, quibus teſticuli ſunt exſecti, vel qui alio caſu eos amiſerunt, vel etiam natura iiſdem deſtituuntur.

Mulier nimis arcta dicitur, cujus vulva penem recipere nequit, qui nimis craſſus non eſt.

Frigidus appellatur, qui nullum ſtimulum ad coitum ſentit, vel ab eo prorſus abhorret.

Impotentes dicuntur mares, qui propter vitium quoddam corporis, præſertim organorum genitalium generare non poſſunt, *feminæ* autem *ſteriles*, quæ eadem de cauſa generare nequeunt.

Hermaphroditi ſeu *androgyni* dicuntur, qui utriuſque ſexus ſunt.

Polygamia dicitur matrimonium perſonæ unius cum pluribus contractum; *polygynia* matrimonium unius maris cum pluribus feminis contractum, *polyandria* matrimonium unius feminæ cum pluribus maribus initum, *monogamia* matrimonium unius maris cum una femina contractum.

Quando mas, & femina matrimonium contrahunt, mas, *uxorem ducere*, femina mari *nubere* dicitur.

In ſocietate conjugali mas vocatur *maritus*, femina vero *uxor*.

Communio uxorum dicitur jus omnibus promiſcue

cue competens ad concumbendum cum eadem femina prolis procreandæ causa:

Communicatio uxorum est pactum, quo plures inter se conveniunt, ut uxores, quas singuli habent, sint omnibus communes.

Qui matrimonium contraxerunt, communi nomine *conjuges* appellantur.

Conceſſio usus corporis sui, qualis ad generationem requiritur, generationis causa *debitum conjugale*, ipsa autem conjunctio corporum maris ac feminæ, qualis ad generationem requiritur, *copula carnalis*, respectu conjugum *copula conjugalis*, dicitur, & *vita conjugalis* complexus actionum, ad quas committendas, vel omittendas conjuges, qua conjuges obligantur.

Venus præpostera dicitur abusus membrorum genitalium, qui alius quam usus eorumdem ad generationem requisitus.

Fides conjugalis dicitur constantia voluntatis a conjugibus sibi invicem, quum matrimonium contraherent, declarata, quod sibi invicem solis usum corporum suorum generationis causa concedere velint.

Persona conjugata dicitur, quæ conjugem habet; *soluta* vero, quæ conjugem non habet, seu quæ conjugem habuit, nunc vero non habet.

Concubitus conjugis cum persona alia, sive conjugata, sive soluta, altero conjuge inscio, vel invito dicitur *adulterium*; *duplicatum*, quod persona conjugata, seu maritus cum uxore aliena committit, *simplex*, quod persona conjugata cum soluta, veluti maritus cum femina soluta, aut mas solutus cum uxore alterius committit.

Zelotypia dicitur tædium seu ægritudo ex eo, quod alter potiatur eo, quod ipse concupiveris. *Zelotypia conjugalis* est ægritudo conjugis unius ex eo, quod persona quædam alia concupiscat conjugem alterum, vel rem habeat cum ea. Ita *maritus* dicitur *Zelotypus* ob ægritudinem ex eo, quod alius

concupiſcat uxorem ſuam, vel cum ea rem habeat, & *uxor zelotypa*, ob ægritudinem ex eo, quod maritus perſonam aliam concupiſcat, vel cum ea rem habeat.

Pellices dicuntur feminæ, quas maritus præter uxorem concubitus cauſa habet. Ideo *pellicatus* eſt pactum, quod maritus, qui adhuc uxorem habet, cum feminis aliis init de uſu corporis ſui ad concubitum ſibi concedendo.

Stuprum eſt concubitus cum femina ſoluta, ſive virgine, ſive vidua, quæ pluribus ſeſe non proſtituit. Eſt *voluntarium*, in quod femina conſentit, & *violentum*, quod virgo, vel vidua vi ſtupratur. Qui puellam, vel viduam ſtuprat, *ſtuprator* vocatur.

Inceſtus dicitut concubitus ſcientis cum perſona, cujus & matrimonium eſt legitime prohibitum, & liberi ex inceſtu primario pariter in linea recta ac ſecundario in obliqua, & arcta affinitate ſuſcepti, *inceſtuoſi*.

Pudicus dicitur, qui alienam libidinem non eſt perpeſſus, ſeu uſum corporis ſui ad concubitum illicitum nulli conceſſit; *impudicus* vero, qui uſum corporis ſui ad concubitum illicitum conceſſit, ſeu alieni libidini obtemperavit. Itaque *pudicitia* dicitur animus ab omni concubitu alienus illicito, & *impudicitia* animus in concubitum illicitum pronus.

Virgo vocatur femina, quæ numquam cum mare concubuit.

Leno dicitur, qui quæſtus cauſa ſtupra, fornicationes, & adulteria promovet. Unde *lenocinium* eſt ſtudium quæſtum ſibi faciendi ex ſtupris, fornicationibus, & adulteriis promovendis.

Sponſalia dicuntur pactum de matrimonio ineundo, iiſdem celebratis mas dicitur *ſponſus*, femina *ſponſa*; *tractatus* autem *ſponſalitii* deliberationes de matrimonio ineundo. *Sponſalia de præſenti* dicuntur, quæ verbis præſentis, *de futuro*, quæ fu-

futuri temporis contrahuntur. *Publica*, quæ coram testibus fide dignis contrahuntur, *clandestina*, quæ nullo teste præsente contrahuntur. Eorum *solemnitates* dicuntur actus omnes, quæ more gentium ad ea accedunt, per se vero ad eorum validitatem nihil conferunt.

Arrha sponsalitia dicuntur arrhæ, quas sponsus sponsæ, & sponsa sponso dat, *munera* autem *sponsalitia* dona, quæ persona desponsata una alteri dat ad declarandum amorem suum. Contra *nuptialia*, quæ nuptiarum die sponso ac sponsæ dantur, a convivis, vel amicis matrimonii contracti causa, vel etiam sponso a sponsa, vel sponsæ a sponso propter nuptias.

R*erum domesticarum* nomine nobis veniunt res omnes, quibus utimur ad vitæ necessitatem, utilitatem, & jucunditatem. Earum administratio *œconomia* dicitur.

Operæ obsequiales seu *officiales* dicuntur, quarum ratio sufficiens in fine matrimonii continetur, cur ab uxore præstandæ sint; *artificiales*, quorum ratio sufficiens ex sola matrimonii notione reddi nequit, sunt, vel *ministeriales*, quæ fiunt in ministerium mariti, vel *simplices*, quæ in ministerium mariti non fiunt.

Lucrum appellatur, quod per operas conjugum acquiritur, deductis impensis, quæ matrimonii causa fiunt.

Impensa dicitur omne id, quod in rem aliquam impenditur, & *sumptus* dicitur pecunia, quæ in rem aliquam impenditur. Itaque *onera matrimonii* dicuntur omnes impensæ, consequenter etiam omnes sumtus, matrimonii causa faciendæ.

Communicatio omnium officiorum, quæ unus alteri præstare potest, usus rerum, qua quis habet, ac omnium casuum tam secundorum, quam adversorum, qui cuique evenire possunt, dicitur *consuetudo vitæ*.

Matrimonium ad thalac, ad beneplacitum arbitrarium,

rium, *temporarium* dicitur, quod a mare cum femina ea lege contrahitur, ut eam tempore convento elapſo, vel quandocumque viſum fuerit, cum prole dimittere liceat, ſoluta educationis cauſa pecuniæ ſumma conventa.

Imperium conjugale dicitur, quod ex ſocietate conjugali naſcitur, & *maritale*, quod marito competit in actiones uxoris omni imperio deſtitutæ.

Nuptiæ dicuntur actus, quo matrimonium perficitur. Sunt *ſecundæ* ſeu *ſecunda vota*, item *polygamia ſucceſſiva*, ſi matrimonio anteriori ſoluto novum contrahitur.

Cærimoniæ nuptiales ſunt, quæ in nuptiis adhibentur, & *ritus*, quæ nuptiarum cauſa fiunt, ab iis tamen abeſſe poſſunt; & cærimoniæ rituſque nuptiales conjugum uno nomine *ſolemnitates nuptiales*.

Sicuti diſſolutio ſponſaliorum *repudium*, ita diſſolutio matrimonii *divortium* appellatur.

Vidua dicitur uxor, orba per mortem mariti, & *viduus* maritus orbus, per mortem uxoris.

Bona, quæ uxor ſibi reſervat, dum matrimonium contrahit, *receptitia* dicuntur.

Liberi proprie dicti ſunt homines ab aliis per generationem deſcendentes, ſeu ab aliis geniti homines. Sunt *juſti* ſeu *legitimi*, *achte*, *cheleibliche Linder*, qui utrumque conjugem parentem habent, conſequenter a conjugibus in matrimonio fuerunt generati, ſeu, ſi generatio eorum facta ſit in juſto matrimonio; *illegitimi*, *unehelich Kinder*, qui extra juſtum matrimonium procreati ſunt, qui in matrimonio nati non ſunt, ſeu a perſonis generati, quæ ſocietatem conjugalem non contraxerunt; *ſpurii*, *lungſerkinder*, *unehelicbe Kinder*, *Baſtarde*, ex ſtupro nati, & propter ſubſequens matrimonium, *legitimati*, *ehrlichgemachte* ſeu *Mantelkinder*, *adulterini*, ex adulterio procreati, *vulgo quaſiti*, *Hurenkider*, *Bänkarde*, ex fornicatione ſeu ex promiſcuo concubitu prognati; ex ince-

ſtu

ſtu *inceſtuoſi*, ex pellice *naturales*, *naturliche*, *Kebskinder*, *ſuppoſititii*, qui vel loco eorum, qui ex matre nati ſunt, ſupponuntur, vel quando femina, quæ non peperit, prolem alienam tamquam ex ſe natam ſimulat. Improprie *liberi* dicuntur, qui ab aliis geniti pro liberis propriis quodammodo habentur.

Pater dicitur *agnoſcere prolem*, ſi eam ex ſe genitam vel expreſſis verbis, vel ipſo facto declarat, ſeu prole ſua habet.

Perſona, a qua aliæ per generationem deſcendunt, dicitur *communis ſtipes* earum.

Feminam, a qua plures perſonæ per generationem deſcendunt, *ſtipitem femineum* appellare lubet, ſicuti *maſculinum* marem, a quo plures perſonæ.

Dependentia ortus duarum vel plurium perſonarum a communi ſtipite maſculino dicitur *agnatio*, *die Schlverdtmagſchafft*, dependentia vero a femineo *Cognatio*, *die Spiehmagſchafft*. *Cognatio*, *die Magſchafft*, *Spiſchafft*, in genere vocatur dependentia ortus duarum vel plurium perſonarum a communi ſtipite. Unde qui agnati dicuntur, *cognati paterni*, qui vero cognati in ſpecie appellantur, *materni*, qui autem a communi ſtipite tam maſſculino, quam feminino ſimul deſcendunt, *cognati ab utroque latere*, *Blutſverlvandte*, *Blutsfreunde von beynden Seiten*, *von vaterlicher und mutterlichec Seite* vocantur.

Series perſonarum per cotinuas generationes a ſe invicem deſcendentium dicitur *linea* eaque *recta* quamdiu in ſe ſpectatur. Et hinc perſonæ in eadem ſerie conſtitutæ dicuntur *agnati* vel *cognati in linea recta*, prouti ſtipes, hoc eſt, perſona, a qua linea incipit, vel mas, vel femina eſt. Perſonæ, quæ in linea recta ſe habent ad ceteras in eadem, ut generatores ad genitas, dicuntur *aſcendentes*. Quæ vero ſe habent, ut genitæ ad generatores, vocantur *deſcendentes*. Hinc ſi perſonam quam-

quamcumque in linea recta assumamus tamquam terminum, per quem ea in duas partes dividitur, pars linea recta, in qua constituuntur ejus generatores, vocatur *linea ascendens*, altera vero, in qua constituuntur personæ genitæ ab eadem, vocatur *linea descendens*. Nimirum si personam genitam in linea recta referas ad gignentem aliquam, ascendendo ab illa ad hanc per loca omnia intermedia, series personarum dicetur *linea ascendens*. Quodsi vero eamdem personam ut gignentem referas ad genitam descendendo per omnia loca intermedia, series earumdem personarum erit *linea descendens*. Diversitas cognationis personæ descendentis cum stipite in linea recta dicitur *gradus*. Qui minori graduum numero a stipite distant, *propiores*, & qui majore, *remotiores cognati* sunt, & *cognatus proximus* est, qui uno saltem gradu a stipite distat, seu per unam generationem ab eodem descendit, seu si alii propiores non amplius exstant.

Cognatio directa dicitur, quam inter se habent personæ in linea recta constitutæ, consequenter quarum una ab altera quoad ortum suum per generationem dependet.

Gradus superioris ordinis sunt, qui obtinent in cognatione personæ alicujus cum aliquo ascendente; qui cum aliquo descendente, *inferioris*. Nimirum ascendentes appellantur *cognati superioris*, descendentes vero *inferioris ordinis*. Illi in linea recta uno nomine *parentes*, hi *liberi* appellantur. Illi in gradu primo dicuntur *pater* & *mater*. Nimirum *pater* est, qui personam alteram, quæ ad ipsum refertur, genuit, *mater* vero, quæ eamdem peperit, seu ex qua eadem nata est. Illi in gradu secundo sunt *avus* seu *paternus* pater patris mei, *maternus*, seu pater matris meæ, & *avia*, seu *paterna* mater patris mei, seu *materna* mater matris meæ. In gradu tertio sunt *proavus*, pater avi mei tam paterni quam materni, & similiter aviæ meæ tam paternæ quam maternæ, & *proavia* mater tam utri-

usque

usque avi quam aviæ. In gradu quarto sunt *abavus*, pater singulorum proavorum & *abavia* mater singularum proaviarum. In gradu quinto sunt *atavus* pater abavi & abaviæ & *atavia* mater utriusque. In gradu sexto sunt *tritivus* tam atavi quam ataviæ pater & *tritavia* utriusque mater. Ulteriores cognati *majores* appellantur. Hi, inferioris ordinis in gradu primo lineæ rectæ sunt *filius*, persona mascula, quæ ab alia immediate genita vel in lucem edita fuit, seu ab ea per unam generationem quoad ortum suum dependet, & *filia*, femina, quæ ab alia immediate genita vel in lucem edita fuit, seu ab eadem per unam generationem quoad ortum suum dependet. In gradu secundo sunt *nepos*, filius ex filio vel filia natus, & *neptis*, e filia vel filio natus. In gradu tertio sunt *pronepos*, nepos filii vel filiæ, & *proneptis* nepos filii vel filiæ, aut si mavis, ille est filius ex nepote ex filio vel filia, aut ex nepte ex filio & filia. In gradu quarto sunt *abnepos*, filius pronepotis vel proneptis, & *abneptis* filia pronepotis, vel proneptis. In gradu quinto sunt *adnepos* filius abnepotis vel abneptis & *adneptis* filia abnepotis vel abneptis. In gradu sexto sunt *trinepos*, filius adnepotis vel adneptis & *trineptis* filia adnepotis vel adneptis. Ultra hos *posteriores* vocantur.

Duarum linearum rectarum, quæ communem stipitem habent, una dicitur ad alteram *obliqua*, vel etiam respectu alterius, quæ ad eam refertur, *obliqua linea*.

Personæ omnes, quæ ab eodem stipite descendunt in pluribus lineis rectis, simul sumtæ faciunt familiam stipitis. Unde *familia* est multitudo personarum ab eodem stipite per lineas quotcumque descendentium.

Cognati a latere, *collaterales* dicuntur, quia communi stipite descendunt, sed quorum unus ab altero non descendit. Quam ob rem *cognatio a latere* seu *collateralis* est, quæ intercedit inter personas in di-

versis

versis lineis constitutas, quarum una ad alteram obliqua est; consequenter, quæ quoad ortum suum a communi stipite dependent, sed quarum una ab altera non dependet.

Linea obliqua ad alteram dicitur eidem *æqualis*, quando utraque æqualem numerum graduum complectitur, veluti unum, aut duos, aut tres, aut quatuor & ita porro. Vulgo duæ istæ lineæ simul dicuntur *linea obliqua æqualis*, quasi duæ lineæ rectæ in puncto aliquo concurrentes constituant unam lineam in duas partes æqualiter divisam. *Linea obliqua* seu *inæqualis*, ad alteram dicitur eidem *inæqualis*, quando una plures gradus continet, quam altera.

Cognati collaterales primi gradus in linea æquali dicuntur *fratres*, *&* *sorores*, pro diversitate sexus. Nimirum fratres ex utroque parente dicuntur *fratres germani*, ex eodem tantum patre *consanguinei*, ex eadem matre *uterini*. In secundo gradu sunt fratrum & sororum filii ac filiæ, uti *patrueles*, qui ex duobus fratribus nascuntur, *consobrini* & *consobrinæ*, qui ex duabus sororibus, *amitini* & *amitinæ*, qui ex fratre & sorore. Patris frater ex patre vel matre dicitur *patruus*, *der Vetter*, matris frater ex patre *avunculus*, *der Oheim*, soror patris ex patre vel matre *amita*, *die Base*; soror matris ex patre vel matre *matertera*, *die Mume*, avi frater *patruus magnus*, soror *amita magna*, aviæ frater *avunculus magnus*, soror *matertera magna*, proavi frater *patruus major*, soror *amita major*, proaviæ frater *avunculus major*, soror *matertera major*, abavi frater *patruus maximus*, soror *amita maxima*, abaviæ frater *avunculus maximus*, abaviæ soror *matertera maxima*.

Respectus cognatorum conjugis unius ad conjugem alterum dicitur *affinitas*, ac ideo cognati conjugis unius dicuntur *affines* conjugis alterius.

Gradus affinitatis est diversitas ejusdem orta ex diverso gradu, quo affinis conjugis unius est cogna-

gnatus conjugis alterius. Si pater ad secundas nuptias transit, uxor ejus dicitur *noverca* liberorum ipsius primi gradus seu filiorum & filiarum ex priori aut anteriori matrimonio, & viceversa, si mater ad secunda vota transit, maritus ejus dicitur *vitricus* filiorum & filiarum ex priori matrimonio. In utroque casu filius ex priori matrimonio vocatur *privignus*, filia vero *privigna*. Uxoris pater dicitur *socer*, mater ejus *socrus*. Iisdem nominibus insigniuntur mariti pater atque mater. Enimvero qui alterius personæ alterutrius sexus filiam ducit, *gener*; quæ vero personæ alterutrius sexus nubet, *nurus* appellatur. Nimirum *gener* est maritus filiæ, *nurus* uxor filii, *consoceri*, quorum alteram filiam alterius filiæ maritum dedit. Avus uxoris meæ dicitur *socer magnus*, ego ipsius *progener* sum, & retro avus meus est *socer magnus* uxoris meæ, ipsa vero ei *pronurus* est. Similiter avia mea est *socrus magna* uxoris meæ, & illi uxor mea *pronurus* est, ac retro avia uxoris meæ mihi *socrus magna* est, ego illi *progener* sum.

Societas paterna est, quæ inter parentes & liberos horum educandorum gratia contracta intelligitur.

Infantiam definire licet per eam ætatem, qua liberi adhuc destituuntur usu sermonis consequenter ad eum perducendi, *pueritiam* per eam ætatem, qua usu sermonis pollentes usu tamen facultatum superiorum destituuntur & ad eum perducendi, *adolescentiam* per eam ætatem, qua usus facultatum superiorum quidem se exerit, sed judicium tamen adhuc imbecille est & magis firmandum; *juventutem* per ætatem, qua judicium magis maturuit, & *ætatem virilem* per eam, qua judicium perfectum videtur ad vivendum vitam hominis per se.

Determinatio actionum liberarum dicitur *regimen* & jus eas determinandi *potestas patria*, at dimissio ex ea *emancipatio*. At *rectius usus patria*

potestatis dicitur eo consistere, ut actiones liberorum legi naturæ conforment, nec permittant eidem contrarias, & secus facientes, tam verbis quam verberibus castigent, prout opus fuerit.

Leges, quas parentes ferunt liberis suis, dicuntur *paternæ*. Quodsi patre mortuo ferantur a matre *maternæ*.

Bona liberorum, qui adhuc in patria potestate sunt, *peculium* dicitur.

Quem ad modum in sensu physico *impuberes* dicuntur, qui per etatem ad generandum nondum sunt apti, *puberes* vero, qui per eam ad generandum apti sunt; ita in sensu morali *impuberes* vocari possunt liberi, quibus per ætatem nondum est ea boni ac mali notitia, ut per se de actionibus suis statuere valeant, *puberes* vero, quibus jam est ea boni ac mali notitia, ut per se de actionibus suis statuere possint.

Minores dicuntur, quibus per ætatem nondum est adeo perfectum judicium, ut negotia sua per se rite curare norint, *majorennes* vero, quorum per ætatem judicium adeo perfectum est, ut negotia sua per se recte curare norint.

Assumptio filii alieni, vel filiæ in filium, vel filiam, *adoptio*, in specie vero, si filius, vel filia adhuc fuerit in patria potestate, *arrogatio* autem, si filius, vel filia fuerit sui juris.

Si qui matrimonium contrahunt, habeant liberos ex priori matrimonio, vel saltem contrahentium uni ad secunda vota transeunti sint ex priori matrimonio liberi, & illi inter se paciscantur, ut respectu utriusque tum iis, quos jam habent, vel habet pars una, tum his, qui ex novo matrimonto nascentur, commune jus filiationis competat, *proles uniri* dicuntur, & pactum ipsum *unio* seu *parificatio prolium* appellatur.

Pupilli dicuntur personæ impuberes parentibus, vel uno saltem parente, patre præsertim orbi.

Tutores dicuntur personæ, quibus educatio pupillo-

pillorum curæ eſt, ſeu jus educandi pupillos competit; ſi voluntate ultima parentum conſtituuntur *teſtamentarii*, ſi jure cognationis tales ſunt, *legitimi*, ſi nullo cognationis vinculo pupillis junguntur, *dativi*. Unde *tutela* eſt jus educandi pupillos.

Curator dicitur perſona, cui competit jus adminiſtrandi bona minorum, vel etiam perſonarum aliarum, quæ ob corporis quoddam vel animi vitium rebus ſuis ipſimet præeſſe nequeunt. Unde *cura*, *curatio*, *curatela* eſt jus adminiſtrandi bona minorum, vel aliarum etiam perſonarum, quæ ob animi quoddam, aut corporis vitium ea per ſe adminiſtrare, ſeu rebus ſuis ipſimet præeſſe nequeunt.

Vicarius dicitur, qui vicibus alterius fungitur, ſeu idem præſtat, quod alter præſtare debebat.

Tutor dicitur *educator*, cui cura educationis pupilli competit, *adminiſtrator*, qui bona pupilli adminiſtrat, *inſpector*, cui inſpectio tutelæ demandata. Illi vocantur communi nomine *tutores inferiores*, hic vero *ſuperior* vel *honorarius*.

Inventarium dicitur conſignatio bonorum defuncti, in quibus pupillus ſuccedit, vel etiam curandus, tum etiam cæterorum, ſi quæ ſunt pupillo, vel curando, quæ aliunde jam habet.

Tutor, & *curator ſuſpectus* dicitur, qui non fideliter, aut negligenter tutelam vel curam adſminiſtrat.

Curator honorarius dicitur, cui inſpectio adminiſtrationis bonorum ejus perſonæ, cui curator datus eſt, demandata.

Dos dicuntur res, quas uxor affert ad maritum, vel quæ nomine ejus ipſi traduntur ab alio onerum matrimonii ſuſtinendorum cauſa, & *pacta dotalitia*, quibus a contrahentibus matrimonium de dote convenitur.

Donatio propter nuptias appellatur donatio mulieri a viro in ſecuritatem dotis facta.

Morgengaba dicitur donum, quod ſponſus dare

ſolet

ſolet ſponſæ altero nuptiarum die in præmium virginitatis, ſeu pudicitiæ ereptæ, aut propter primum concubitum.

In bona defuncti ſuccedere dicitur, qui a morte defuncti jus in iis acquirit, quod habuerat defunctus. Qui in bona defuncti ſuccedit, *hæres*, & jus ſuccedendi in bona defuncti *jus hæreditarium*, & qui hoc ſibi delatum, acceptare non vult, *hæreditatem repudiare*.

Rerum a defuncto relictarum univerſitas *hæreditas*, & dominium, quod in ea acquiritur, *dominium univerſale* dicitur. Portio hæreditatis, quæ hæredibus ſuis legibus adſignata eſt, *legitima* vocatur.

Hæreditatem ſuſcipere dicitur, qui verbis vel facto ſufficienter declarat, quod hæres eſſe velit. In ſpecie autem *hæreditatis aditio* eſt, ſi voluntas iſta per verba aut alia ſigna æquipollentia ſine ullo facto ſufficienter declaratur, at *geſtio pro hærede* ſi quis facto ſufficienter declarat, ſe hæredem eſſe velle.

Onus hæreditatis ſunt obligationes bonis defuncti adhærentes.

Sui hæredes ſunt, qui per generationem a defuncto deſcendunt. Jus ſubeundi in locum parentum ſuorum, quod competit liberis ulterioris gradus cum liberis primi gradus concurrentibus, vocatur *jus repræſentationis*.

Hæredes naturales dicere lubet eos, quos ipſa natura conſtituit; & *voluntarios*, quos defunctus voluntate ſua ſive expreſſa, ſive tacita aut præſumta inſtituit. *Deficere* dicuntur, quando revera nulli dantur, ideoque quando nulli extitere, aut exiſtere deſiere. qui exitere, & *quaſi deficere*, quando ſunt quidem, non vero ut hæredes, ut, quando explorari nequeunt, qui forte ſuperſunt, aut, qui noſcuntur, ſupereſſe, jure ſuccedendi carent juſta de cauſa, aut nolunt eſſe hæredes. *Bona* dicuntur *caduca*, quæ juſtis hæredibus carent, ſive quæ amiſ-

amiſſo nuper domino hæredes non habent. Latius quoque ea dici ſolent, quæ dominium privatum non habent, ſive vacua ſint a domino relicta, ſive crimine illis exciderit poſſeſſor. *Jus* vero *caducum* vocant jus bona caduca occupandi; *quaſi caduca* erunt, donec veri hæredes innotuerint. Hæreditas, res legata, aliave communis *accreſcere* dicitur alteri qui ejus vacantis adquirendæ jus habet, eodemque uti vult. *Vacat* nempe res domino, ſi is vel nequeat, vel nolit ejus dominus eſſe. Inde *jus accreſcendi* eſt jus tranſeundi ad conſortes ſi non ipſius dominii, ſaltem juris id acquirendi, qui eo uti volunt, vel jus occupandi vacantem rei communis partem.

Liberi abdicari dicuntur, ſi parentes ſufficienter declarent, quod eos pro liberis ſuis agnoſcere nolint.

Expreſſa declaratio voluntatis defuncti de tranſlatione dominii rerum poſt mortem ſuam relictarum, & de eo, quod præterea poſt mortem ſuam fieri velit, ea lege facta, ut non niſi poſt mortem ſuam acceptatio fieri poſſit, *teſtamentum* dicitur. Eſt *nuncupativum*, quando teſtator voluntatem ſuam declarat coram teſtibus, ſive hæres ipſe præſens fuerit, ſive abſens, & *ſcriptum*, quando teſtator voluntatem ſuam in ſcripturam redactam relinquit. Contracta *reciprocum*, quibus is, qui ab altero hæres inſtituitur, eumdem viciſſim ſuum facit hæredem.

Teſtator dicitur, qui teſtamentum facit. *Teſtari* idem ſignificat ac teſtamentum facere, ſeu ſuam de translatione dominii rerum poſt mortem relictarum voluntatem declarare. Unde *teſtatus* decedere dicitur, qui teſtamento facto moritur, *inteſtatus* vero, qui nullo teſtamento condito decedit. *Voluntas* vero *ultima* eſt, qua quis ea vult, quæ poſt mortem ſuam fieri debent.

Liberi exhæredati dicuntur, quibus a parentibus expreſſa voluntate aufertur hæreditas, vel qui ex

nu-

numero hæredum excluduntur, seu si parentes expresse declarent, quod in bona post mortem suam relicta succedere non debeant. Sed *parentes*, si ipsis expressa liberorum voluntate aufertur hæreditas.

Legatum dicitur donatio rei cujusdam, vel etiam certæ pecuniæ summæ ultima voluntate facta; legatum hæredi uni, vel alteri relictum *prælegatum*. Persona vero, cui legatum relinquitur, *legatarius* vocatur, & qui ultima voluntate quid donat alteri, *legare*.

Posthumus dicitur, qui post mortem demum patris nascitur.

Ab intestato succedere dicitur, qui in bona defuncti succedit tastamento nullo facto, vel a defuncto in testamento non institutus hæres.

Substitutio vulgaris dici solet, qua quis instituitur hæres sub ea conditione, si alius institutus deficiat; *pupillaris*, qua parentes liberis impuberibus substituunt hæredem sub ea conditione, si impuberes moriantur, seu in statu pupillari decesserint, *quasi pupillaris*, vel *exemplaris*, qua parentes liberis furiosis, vel amentibus sub ea conditione substituunt hæredem, si in illo, statu quo testamentum ipsi facere nequeunt, decesserint.

Legatum pæna dicitur, quod relinquitur sub hac conditione, si hæres hoc fecerit, vel non fecerit.

Hæreditatis delatio ea lege facta, ut vel tota, vel certa ejus pars, prouti testator jussit, restituatur alteri, dicitur *fideicommissum*, & *universale*, si tota hæreditas restituenda, & *particulari*, si non nisi res certa restituenda. *Fideicommissum familiæ* dicitur, quod familiæ relictum, vel quo testator prohibet, ne res ejus extra familiam alienentur.

Servitus est subjectio, qua quis operas perpetuas pro alimentis perpetuis præstare obligatur. Dicitur *perfecta*, si operæ, quæ perpetuo debentur, determinatæ non sunt, sed eas pro lubitu de-

determinare potest dominus, at *imperfecta*, si operæ debentur nonnisi certæ, aut si non debeantur perpetuo, aut non continuo. *Voluntaria*, in quam quis se alteri sponte dat, consequenter quæ ex pacto oritur, & *coacta*, quam quis invitus subire cogitur.

Qui operas alteri perpetuas pro alimentis perpetuis præstare obligatus est, dicitur *servus*, qui vero alimenta perpetua pro operis perpetris præstare tenetur, & jus hasce exigendi habet, *dominus*. Jus domini in servum, vel ancillam dicitur *potestas dominica*.

Peculium servorum dicuntur res, & pecunia, quas servus quomodocumque extra ministerium domini acquirit.

Dominus *servum manumittere* dicitur, si libertatem suam eidem restituit. Itaque *manumissio est* actus, quo dominus libertatem suam servo restituit. Dominus *in servum sævire* dicitur, si dura verbera jugiter ferat in servum in præstandis operis licet assiduum, & ob non præstitas operas nimias, aut solo odio sine ulla ejus culpa, vel alio quodam modo nimis duriter tractet.

Qui alicui certas operas ad certum tempus pro alimentis, & certa mercede locat, *famulus*, & earum conductor *herus*; similiter femina locans pari modo operas, *famula*, femina autem, quæ famulum, vel famulam conducit, *hera* vocatur.

Societas herilis dicitur, quæ inter herum, vel heram, & famulos famulasque intercedit.

Domus dicitur societas composita ex conjugali, paterna, & herili, vel saltem ex binis seu ex diversi nominis societatibus compositis unita. Est *perfecta*, quæ coalescit e tribus seu omnibus societatibus simplicibus; & *imperfecta*, quæ ex duabus simplicibus, vel tantum aliquibus. Eadem persona, quæ in conjugali maritus, in paterna pater, in herili herus appellatur, dicitur in domo *paterfamilias*, & quæ in conjugali uxor, in

paterna mater, in herili hera vocatur, *materfamilias* audit.

Domesticos communi nomine appellamus liberos & famulos famulasque simul sumtos, quatenus sunt membra minus digna domus.

Vigilans dicitur, qui ad omnia, quæ fiunt, diligenter attendit, ne scilicet quid facile notitiæ ipsius subtrahatur. Unde *vigilantia* est diligentia animum attendendi ad omnia, quæ fiunt, & quæ nosse interest, seu virtus, ad omnia, quæ fiunt, attenta, num recte fiant, examinans curansque, ut officiis satisfiat.

Societas inter plures domus contracta eo fine, ut conjunctim sibi parent ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem, immo felicitatem, requisita, & curent, ut unusquisque jure suo quiete fruatur, & tuto ab alio id consequatur, atque se suaque adversus vim quamlibet externam defendant, *civitas*, *ein Staat*, appellatur. Multitudo hominum in civitatem consociatorum *populus*, *gens*, & membra civitatis seu singuli, societatem qui ineunt civilem, *cives*. Qui civitatis nostræ membrum seu civis noster non est, *peregrinus*, qui *incola* est, cui habitare, & rem suam agere permittitur in aliena regione.

Per *vitæ sufficientiam* intelligo abundantiam eorum, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem, & jucunditatem requiruntur, & remediorum saluti; per *tranquillitatem* vacuitatem a metu injuriarum; per *securitatem*, vacuitatem a metu vis præsertim externæ.

Civitatis ordinatio dicitur, *respublica*, *das gemeine VVesen*.

Publicum dicitur, quod ad universitatem quamdam seu ad civitatem universam spectat, *privatum* vero, quod nonnisi singulos cives respicit, seu ad eos pertinet. Unde bonum commune civitatis est *publicum*, & proprium civis cujusdam *privatum* dicitur.

Im-

Imperium universis in singulos competens in civitate dicitur *imperium civile* seu *publicum*, & *summum*, in cujus actus nemini nisi habenti jus quoddam competit, ut ideo *summitas imperii*, consistat in independentia exercitii ejusdem ab alterius cujusdam voluntate. *Plenum*, quod omnia jura complectitur ad imperium civile spectantia, nullo prorsus excepto, & *minus plenum*, quod non omnia jura complectitur ad imperium civile spectantia, sed a quo unum, vel alterum eorum ademtum. *Limitatum*, cujus exercitium certis legibus adstrictum, vel consensu alterius indiget, & *absolutum* quod limitatum non est, seu in quo exercendo rector civitatis non nisi suo stat judicio. *Temporarium*, quod ad certum tempus alicui confertur, & *precarium*, quod confertur sub hac clausula, quamdiu voluerimus seu placuerit. Limitatio reipublicæ per aliam heterogeneam dicitur *temperatio reipublicæ*, & respublica sic limitata, *temperata*. Limitatio vero reipublicæ per aliam homogeneam aut per internas actiones, dici potest *restrictio*.

Rector civitatis est is, cui imperium in civitate defertur, ut id exerceat.

Diversa illa jura, quarum unum absque altero subsistere potest, quæ tamen simul sumta imperium publicum constituunt, dicuntur *partes imperii*.

Leges, ad quarum observantiam adstringitur rector civitatis in exercitio imperii, dicuntur *leges fundamentales civitatis*.

Dominii partes potentiales dicuntur diversa illa jura, quæ in dominio continentur, veluti proprietas, jus fruendi, & utendi.

Jus disponendi de propriis rebus civium salutis publicæ causa in casu necessitatis imperanti seu rectori civitatis concessum, dicitur *dominium eminens*, & *potestas eminens* jus disponendi de persona civis salutis publicæ causa in casu necessitatis imperanti seu rectori civitatis competens.

Utrumque conjunctim uno nomine *jus eminens imperantis* dici solet.

Pacta, in quibus de modo administrandi imperii inter rectorem civitatis, & populum, convenitur, vel etiam eos, qui jus populi habent, dicuntur *capitulatio*.

Si imperium est penes totum populum, forma reipublicæ dicitur *democratia* seu *status popularis*. Dicitur *absoluta* seu *archidemocratia*; si quotquot personæ eidem democratiæ subsunt, pro populo universo habentur, *restricta*, quando quædam personæ a jure populi excluduntur, & exorres sunt publici imperii; *rigidior*, si ratione modi statuendi omnium requiritur consensus, *moderatior*, si non omnium, sed tantum plurium, quam eorum, qui secus sentiunt; *rustica*, si populus nullis utitur urbibus seu oppidis; *urbana*, *vel oppidana*, si solis urbibus continetur; *mixta* vel *provincialis*, si utriusque generis est. Si imperium a populo, quale in ipso est, transfertur in unum, seu imperium, quale in populo est originarie, penes unum est, forma reipublicæ dicitur *monarchia*. Est *voluntaria*, quæ libero nascitur populi consensu, vel propensa populi voluntate constituitur; *non voluntaria*, seu *invita*, quæ præter populi voluntatem oboritur, ideoque populus mallet ab ea immunis esse. Illa si nititur consensione, ex cognitione distincta oriunda, *plene voluntaria* seu *liberrima*, &, si legi divinæ respondet, *legitima*, & *utcumque voluntaria*, *nec satis libera* sed *barbarica* est, si ex confusa cognitione, & ignorantia meliorum. Est *masculina* cui non nisi mas præesse potest, *feminina*, cui femina per leges cardinales.

Timocratia est reipublicæ forma, ubi imperium non est penes integrum populum, sed penes eos saltem, qui censi sunt, & censum præstant aut qui prædia possident, vel opibus præstant.

Respublica mixta est, quæ in aliis ad monarchiam,

in

in aliis ad aristocratiam, in aliis ad democratiam accedit.

Regnum dicitur ea reipublicæ forma, in qua imperium sive plenum absolutum ac summum, sive quomodocumque limitatum, aut diminutum penes unum est, modo nulli extraneo competat aliquod jus in actus imperii, seu summitas civitatis salva sit, & persona ista, pœnes quam in regno imperium est, *rex*, seu *regnum* est; monarchia nulli extraneo obnoxia, vel principatus sui juris suisve stans viribus, & *rex* monarcha vel princeps sui juris, vel imperii extrinsecus liberrimi. Est *patrimoniale*, si imperim fuerit in patrimonio regis, *usufructuarium*, si imperim saltem fuerit in usufructu regis, *asymneticum*, quando imperium summum saltem in tempus ad aliquem defertur, *laconicum*, in quo exercitium quidem imperii uni commissum, sed qui illud exercere tenetur secundum populi, vel procerum voluntatem, *legitimum*, in quo rex imperium exercere tenetur secundum leges fundamentales, vel perpetuas, vel in delatione imperii ipsi in specie præscriptas seu capitulationem, *herile*, in quo regi in subditos, & res subditorum idem jus competit, quod domino in servum, seu in quo regi præter potestatem civilem etiam dominica competit, aut, si mavis, dominica potestas cum civili miscetur, *patrimoniale perfecte tale*, si omnis proprietas imperii fuerit penes regem, *imperfecte tale*, si saltem jus transferendi imperium pro habitu fuerit penes regem, *electivum*, quando populus elegit successorem, deficiente rege, aut jus eligendi in alios transtulit, *successorium*, quando in locum regis deficientis certa lege succedit alius, *voluntarium*, quando imperium libera voluntate populi in regem fuit delatum, *invitum*, quando imperium regi alio quocumque modo, veluti vi armorum in populum invitum acquisitum, *hæreditarium*, in quo jure hæreditario succeditur.

Regni capax dicitur, qui in regno ſuccedere non prohibetur, *incapax* vero, qui in regno ſuccedere prohibetur. *Capacitas* eſt vel *reſpectiva*, vi cujus quis ſuccedere poteſt, ſi ordo voluntate populi definitus ipſum tangit, vel *abſoluta*, vi cujus quis ſede vacante ſuccedere debet, ita ut aliis regni capacibus præferendus ſit.

Condominatus a nonnullis dicitur, ſi duo, vel tres habeant imperium indiviſum in uno regno commune. Duo vel plures ſimul in uno regno imperantes, dicuntur *condomini* ſeu *coreges*.

Superior in civitate dicitur, cui competit jus in actiones ſingulorum, ſed *ſubditus*, in cujus actiones alii vel aliis conjunctim jus competit.

Libertas civilis populi eſt independentia quoad actus ad bonum publicum promovendum requiſitos a voluntate alterius.

Ariſtocratia eſt ea reipublicæ forma, in qua imperium, quale originarie in populo eſt, penes certas quaſdam perſonas, non penes totum populum eſt. Eſt *patrimonialis*, ſi imperium fuerit in patrimonio optimatum; *uſufructuaria*, ſi imperium ſaltem fuerit in uſufructu optimatum; *annua vel temporaria*, quando regimen optimatum annuum eſt, vel ad certum quodcumque tempus reſtrictum; *perpetua*, ſi optimatibus competit imperium ſummum ad dies vitæ ſingulorum, aliis in locum decedentium quacumque lege ſuccedentibus; *electiva*, quando populus eligit in locum decedentium ſucceſſores, vel jus eligendi in alios tranſtulit, veluti in ipſos optimates, aut, ſi mavis, quando quis jus optimatis conſequitur electione; *ſucceſſoria*, quando in loca deficientium ſuccedunt certa lege alii; *perfecte patrimonialis*, ſi omnis proprietas imperii fuerit penes optimates, *imperfecte patrimonialis*, ſi ſaltem jus exercendi imperium in alium pro lubitu transferre poſſunt optimates, ſive univerſi ſimul, ſive ſinguli, *laxa*, quando ingens admodum optimatum numerus eſt;

etſi

etsi is minorem populi partem faciat, *strictior*, quando numerus optimatum non major est, quam qui quotidie convenire, aut citra moram convocari possit; *herilis*, in qua optimatibus in subditos, & res subditorum idem jus competit, quod domino in servum, seu potestas civilis cum dominica miscetur, si monarchia adhibetur ad temperandam aristrocatiam, ita tamen, ne illa sed hæc prævaleat, *ducalis*, si eidem democratia adjungitur, præpollente tamen aristocratia, *popularis*, & *triformis*, si in aliis regie, in aliis populariter temperatur, manente tamen primario optimatum studio. Imperantes dicuntur *optimates*.

Magistratus sensu latiori dicitur, cui partes quędam imperii exercendæ committuntur a superiore in civitate, & sensu latissimo, quotquot gaudent jure imperii in civitate exercendi, sed strictiori sensu *magistratus* vocantur, qui inventis quam optime in regimine bene administrando utuntur. Si alii magistratui subsunt, *inferiores*, si nulli, *superiores*. Si partes imperii superiori magistratui commissæ, sunt causæ privatæ, & controversiæ civium legibus generatim jam determinatæ, *judicium*, *dicasterium*, sæpe & *scabinatus*. Sin sunt solitæ publicæ causæ, moræ impatientes, item legibus nondum definitæ, si qua ipsi est potestas leges ferendi, aut res causæque ceteræ ne quidem controversæ, *senatus* est. Si gaudet ordinaria jurisdictione Ecclesiastica, magistratus est *Ecclesiasticus*, sin reliqui regiminis publici, *secularis* est.

Territorium dicitur locus, in quo alicui imperium civile competit.

Negotium publicum dicitur negotium, quod ad res totius civitatis spectat. Conventus negotiorum publicorum agendorum causa celebrati dicuntur *comitia*. *Jus comitiorum habere* dicitur, qui votum in comitiis habet, consequenter ad comitia accedere potest.

Sena-

Senatus dicitur cœtus certarum personarum, cui regimen publicum quoad ea, quæ quotidianæ administrationis sunt, vel quæ moram non ferunt, & executio illorum, quæ a superiore decreta sunt, committitur, & qui ad consilium de rebus publicis superiori subministrandum adscitur, Personæ singulæ seu membra senatus *senatores* vocantur.

Dignitas civilis est præcellentia cujusdam supra alios in republica.

Dignitas ejus, penes quem summum imperium est indivisum, *majestas* vocatur.

NOT. RUD. VVEDERIND. diss. de majestate, vera scilicet ejus notione, & pendentibus inde affectionibus, Gotting. 1746.

Jura majestatica, appellantur jura, quæ ad summum imperium pertinent ejusque exercitium seu, sine quibus imperio civili salus publica promoveri tantum nequit, quantum eorum ope fieri potest. Sunt *maiora*, quæ summum potentiæ & potestatis publicæ usum legitimum indubie continent ostenduntque.

Partes subjectiva imperii dicuntur imperium in personas, quæ incolunt certam territorii reipublicæ partem.

Imperium herile dicitur, quod cum potestate dominica miscetur.

Actus regis regii sunt, qui ad exercitium imperii pertinent, *privati*, qui ad idem non pertinent.

Bona regis regia vel *publica* sunt, quorum usus ad imperii administrationem, & splendorem regium perpetuum destinatus, vel *priva a*, quæ ad usus ipsius privatos destinantur, aut quocumque modo ab ipso acquiruntur.

Testamentum regis regium est, in quo de imperio & bonis regiis, *privatum*, in quo de bonis ipsius privatis disponitur.

Electio, quæ translatio juris cujuspiam in alterius personam merito præferendam est, dicitur *legiti-*

gitima, quæ ſecundum leges de electione regis conditas facta, *illegitima*, quæ legi cuidam contrariatur; *cæca*, ſi ſorti committitur; *oculata*, quatenus ope diſtinctæ cognitionis peragitur.

Interregnum dicitur ſtatus reipublicæ, in quo ſedes regia vacat.

Vicarius regni dicitur, qui imperium exercet tempore interregni.

Succeſſio linealis eſt, in qua regnum continuo ab uno ad alterum devolvitur in linea recta, nec ad aliam ceteris propiorem fit tranſitus, niſi illa extincta. Eſt *agnatica*, ſi feminæ a ſucceſſione in regnum, & ex iis deſcendentes in æternum excluduntur, ſeu introducta in regno ſucceſſorio, ad cujus adminiſtrationem nulla admittitur femina, & *cognatica*, ſi feminæ quoque admittantur, ad ſucceſſionem in regno. Quod cum duplici modo fieri poſſit, vel ut feminæ pari jure utantur cum maribus, vel ut maſculis deficientibus ſuccedat femina regi ultimo proxima illam *ſucceſſionem linealem cognaticam primi generis*, hanc *ſecundi* vel *caſtilianam* appellare lubet.

Conſtitutio reipublicæ eſt determinatio modi, quo finis civitatis obtinendus, & *temperationis* vel *temperamenti civilis* notat latius modum præfiniendum, quo miſcendæ ſunt reſpublicæ, ut ſcopus civitatis obtineatur, ſtrictius vero accepta eo collineat, ut ſcopus civitatis eo melius pleniuſque obtineatur.

Indigenas appellamus, qui ex parentibus civibus in ea regione, in qua habitant, nati ſunt, *advenas* autem, qui aliunde eo veniunt, ubi habitant, vel ex advenis nati ſunt. Hi ſunt *temporarii*, qui aliunde non eo animo veniunt, ut perpetuo apud nos habitent, ſed ſaltem aliquo temporis intervallo, ut commorentur.

Jus civitatis vel etiam *indigenatus* dicitur, quo cives fruuntur.

Præceptores dicuntur, qui pueros & adoleſcentes inſti-

instituunt in iis, quæ ipsis discenda sunt. Sunt *publici*, qui publica auctoritate constituti sunt, ut instituant, & *privati* seu *domestici*, quos unusquisque liberis suis in domo sua constituit.

Scholæ dicuntur loca, in quibus publica auctoritate instituuntur pueri, adolescentes atque juvenes in iis, quæ ipsis discenda sunt, seu in quibus rudes erudiendi facilius & sine sumtu oneroso instituuntur in iis, quorum notitia ipsis est necessaria & utilis. Sunt *inferiores*, in quibus pueri atque adolescentes instituuntur in iis, quæ memoria comprehenduntur, & *superiores*, seu *academiæ* vel *universitates*, in quibus juvenes docentur ea, quæ vi intellectus comprehendenda, consequenter ad scientiam rerum scitu necessariarum, vel utilium perducuntur, & *pauperum* seu *piæ*, in quibus gratis instituuntur pueri atque puellæ in iis quorum notitia ipsis necessaria ac utilis. *Inferiores* sunt vel *infimæ* seu *vulgares*, quæ docent in omni vitæ genere cognitu salutaria, vel *triviales*, quæ docent præparationem ad usum facultatum superiorum in eruditione, tribus potissimum artibus liberalibus, grammatica, rhetorica, & poesi præter historiam & elementa de Deo. Separati cœtus discipulorum e diverso gradu habilitatis oriundi, ideoque & ad peculiaria discendorum genera vel disciplinas adstricti *classes* vocantur. Quę tantum altiores criticas & elegantiores philologicas & philosophicas tractant scientias, nec eas quidem omnes vel plene, sed faciliora tantum earum & theologiæ elementa, simpliciter *gymnasia*, *academica* vero, quę omnes etiam superiores tractant scientias, & tantum non absolvunt. *Academiæ equestres* docent præter studia gymnastica exercitia nobilium equestria. Scholæ almę vel privilegiis publicis ejusmodi sunt instructæ, ut non subsint nisi majestate præditis, vel illis carent & subsunt magistratui civili, qui summus non est. Illas dicere solent, *privilegiatas*, *recentiores*, *eximias*, *egregias*, *privilegiare*, *umiet-*
telba-

telbare Hohefchulen, has *nudas*, *veteres*, *non exemtas* feu *gregales*, *mittelbare*, *fchlechte Hohefchulen*. Eximiæ vel omnibus, quibus poffunt, gaudent privilegiis, vel quibufdam tantum, prouti e republica vifum eft. Priores recte dicimus *univerfitates* fubaudiendo *litterarias*, pofteriores *academias* nomine generali vel reftrictiore. Gregalium academiarum aliæ gaudent privilegiis litterariis, i. e. academicas dignitates conferendi, aliæ iifdem carent. Illę *æmula eximiarum*, hæ *prifca* vocari poffunt. *Dignitates academica* vocantur honores acquifita intellectus cultura promeriti. Quoniam merita alia funt majora, alia minora, opus quoque fuit *graduum* diverfitate, ut fcilicet alię dignitates effent inferiores, aliæ fummæ. Infimus earum gradus eft laurea baccifera, a qua *baccalaurei* vocantur, medius eft candidatorum fummi honoris, vulgo *licentiatorum*, fummus eft *magifteriorum*, unde *magiftri & doctores*, appellantur. Scilicet qui infignes profectus oftendunt, primo, qui fere digni funt magifterio, candidati medio, & qui abfolverunt fcientias, aliofque æque perficere valent, fummo gradu ornatur.

Superiores facultates dicuntur, quæ fuperiorum facultatum habitibus majorem ufum in honoribus reditibufque publicis prout lubuit confecutæ funt, *inferiores* autem fuperiorum principia tradunt, & ornamenta, quæ nunc tantum minora cultoribus fuis emolumenta afferre confueverunt. Poffet etiam dici, fuperiorum neceffitatem ad falutem publicam ftatutam effe majorem, ob decerptos, & fubrepros primævis ufus potiores, quam inferiorum, licet hæ ad illas præparent animos, & illarum bafes fint fontefque.

Cura falutis æternæ adipifcendæ, vel veræ religionis pietatis, & rerum divinarum propofita eft *facultati theologica*. Profperitatis publicæ cura, item legum explicatio, ut fuum cuique jus tribuatur, *juridica*, cura corporis,

feu

ſeu ſanitatis morborumque profligandorum, *medica.*

Rector magnificus is vocari ſolet, cujus primæ ſunt imperii academici partes; quique illud in eadem omnium profeſſorum nomine exercet, & cujuslibet facultatis præſes *Decanus*; Summi vero gradus *rector magnificentiſſimus* eſt.

Proteſtas juris dicundi academica cum annexis *ſceptrum academicum* dici poteſt.

Tutor vel dictator academicus eſt *cancellarius.*

Qui in ſcholis inferioribus docent, ſeu pueros & adoleſcentes inſtituunt, *præceptores*, & *profeſſores* appellantur, qui in academiis docent, ſeu juvenes ad ſcientiam rerum ſcitu neceſſariarum, & utilium perducunt.

Societates ſeu *academiæ ſcientiarum* dicuntur, quæ eo fine inſtituuntur, ut ſcientiæ ac artes perficiantur, & novis inventis locupletentur. *Præſes* earum eſt is, cujus curæ demandatum eſt, ut omnia recte fiant in ſocietate, conſequenter cui imperium in ſocietate delatum eſt. Earum leges *ſtatuta* appellantur. In genere leges particulares univerſitati cuidam in ſpecie præſcriptæ *ſtatuta* vocari ſolent.

Societas ſeu *academia artium* dicuntur, quæ eo fine inſtituuntur, ut educentur artifices in arte, quam profitentur, exercenda excellentes.

Doctores publici dicuntur, qui publica auctoritate conſtituuntur, ut eos, qui in civitate degunt, de deo, & voluntate ejus, de virtute ac vitiis, & cultu divino inſtituant, ad virtutem incitent, & a vitiis revocent.

Templum, *ædes ſacra*, vel *dei* dicuntur ædificia eo fine exſtructa, ut in iis conventus cultus divini gratia celebrentur.

Dies feſti dicuntur, qui cultui divino publico deſtinantur, ſeu quibus cultui divino vacandum eſt.

Cenſores librorum dicuntur perſonæ, quibus deman-

mandatum eſt, ut ne permittant imprimi libros, opiniones religioni, bonis moribus, & ſtatui publico adverſas continentes.

Res ſacræ dicuntur, quæ cultui divino publico dicatæ ſunt, & *profanæ*, quæ ſacræ non ſunt, & ad cultum divinum publicum non ſunt dedicatæ. Sunt *neceſſariæ*, ſine quibus cultus divinus publicus locum habere, aut ſaltem commode nequit, & *utiles*, quæ etſi neceſſariæ non ſint, cultum tamen divinum promovent aut facilitant. Unde *loca ſacra* ſunt, quæ cultui divino publico dicata ſunt. Quæ ſi privata fuerint, ipſa quoque ſacra, quæ ibi fiunt, *privata* appellantur, ſi publica, vocantur & *publica*, vel aliis verbis cultus dei publicus, & privatus.

Uſus vocatur *ſacer*, qui præbetur cultui divino, & *profanus*, qui non præbetur. Hinc *res ſacra profanari* dicitur, ſi ad alium, quam ad ſacrum uſum adhibetur.

Jus reformandi eſt jus religionem emendandi quatenus indiget emendationis.

Conſecratio eſt actus, quo res quædam cultui publico divino dicatur.

Eccleſia dicitur cœtus hominum, eodem modo Deum colentium, conſequenter eidem religioni addictorum. Eſt *particularis*, quæ in loco quodam particulari eſt, & *univerſa*, ſeu multitudo omnium hominum eodem modo Deum colentium, ſeu eidem religioni addictorum, per quæcumque terrarum loca fuerint diſperſi. Homines vero ſinguli ſunt ejus *membra*.

Res Eccleſiaſticæ, vel *eccleſiæ* dicuntur, quæ ad uſum quemdam eccleſiæ pertinent, non tamen directe, & ſimpliciter ad cultum divinum dedicantur. Univerſim ſumta *bona eccleſiæ*.

Ex diſtantibus conſtare dicitur ens, ſi quæ ſimul ſumpta unum efficiunt, a ſe invicem ſeparata manent. *Cohærentia* vocantur, quorum partes junctura in unum ſunt coactæ.

Prin-

Principium unionis est, quod ex multis efficit unum.

Res pretiosa dicuntur, quæ magno pretio comparantur, *minus pretiosa* vero, quæ exiguo vel vili pretio comparari possunt.

Comœdias dicimus repræsentationes factorum personarum, sive verarum, sive fictarum, exitus læti, tristis vero *tragædias*. Qui comœdias agunt, *actores*.

Judex dicitur persona, quæ unicuique in civitate jus suum tribui curat, & unumquemque adversus injurias aliorum defendit.

Cognitio causa dicitur notitia facti sufficienter probati, ob quod jus aliquod prætendit actor.

Sententia judicis seu *definitiva* est effatum judicis, quo declarat, quid justum sit in causa controversa coram ipso a partibus litigantibus ventilata, seu decisio controversiæ coram ipso a partibus litigantibus ventilatæ. Victus in judicio *sententia se submittere* dicitur, si in sententia judicis adquiescens se ad id obligatum agnoscit, ad quod præstandum a judice condemnatur, seu quod ut præstet judex eidem injungit.

Provocatio a judice ad superiorem ob sententiam vel aliud factum, quod quis iniquum existimat, ut ipse causam decidat, *appellatio* dicitur.

Supplicatio dicitur actus, quo victus judici declarat, se sententia esse gravatum, atque petit, ut propter rationes, quas exponit, eamdem corrigat.

Res judicata dicitur, quando contra sententiam nihil amplius opponi potest, aut opponi lege permittitur.

Executio rei judicata dicitur actus, quo a magistratu victus vi adigitur ad præstandum id, quod exigit sententia, si ipse id sua sponte præstare nolit.

Judicium cessare dicitur *momentanee*, quando judex expectari non potest sine certo periculo aut dam-

damno, *continue* autem, si judex non adsit, qui controversiam decidere possit, vel velit, seu per quem jus nostrum consequi valeamus, & quidem *jure*, si versemur in loco, ab imperio civili vacuo, vel *facto*, si subditi judicem non audiant, vel judex aperte cognitionem causæ rejecerit, nec ab eo detur provocatio ad superiorem, vel saltem moram non patiatur periculum præsens, ut superiorem adire possis,.

Factum dolosum, quo alteri damnum datur, vel injuria infertur, *maleficum*, & *quasi maleficium* factum istiusmodi culposum vocatur. Maleficium, quo privato damnum datur, vel injuria infertur, *delictum*, quo vero universitati in civitate, aut, si mavis, reipublicæ, *crimen* dicitur.

Mulcta dicitur pęna, quæ in solutione pecuniæ vel rei cujusdam corporalis aut incorporalis consistit. Si injungitur, & exigitur a superiore, cui earum jus est in civitate, *publica*; sin inter contrahentes pacto statuitur, ne quid contra contractum fiat, *privata*.

Fiscus vocatur receptaculum pecuniæ privatæ regis seu imperantis, seu ipsi nummi, aut in genere bona ipsa regis ad privatos usus destinata, & *collegii* aut *universitatis cujusdam particularis* receptaculum pecuniæ illi collegio, seu universitati isti propriæ, consequenter ad usus ipsius destinatæ, seu pecunia ipsa collegio isti propria, ut ad usus suos necessarios de ea disponat.

Confiscatio bonorum est actus, quo in pęnam omnia bona, quæ quis habet, eidem adimuntur, & fisco attribuuntur.

Relegatio est ex expulsio e civitate, aut saltem e territorio quodam. Est *temporaria*, quæ ad certum tempus extenditur, & *perpetua*, quæ per totam relegati vitam durat. Ei affinis est *interdictio aditus in certum locum*.

Deportatio est in locum quemdam remotum, & certo spatio circumscriptum invitus secessus, quo

egredi minime licet. Ei affinis est *interdictio exitus ex certo loco*.

Carcer locus est, unde quis exire prohibetur. *Ejus pœna* est, qua quis ad certum tempus, vel donec vixerit, in eodem conditur.

Decollatio seu *pœna gladii* est pœna capitalis, qua caput gladio, vel alio instrumento amputatur.

Suspendium est pœna capitalis, qua homo e furca publica, vel patibulo, laqueo aut catena collo circumdata suspenditur.

Crucifixio est pœna capitalis. qua homo clavis ferreis per manus, & pedes trajectis cruci affigitur.

Strangulatio est pœna capitalis, qua homo collo in laqueum inserto vitam finire cogitur.

Rota supplicium est pœna capitalis, ubi crura, & brachia hominis, cervix item, & sternum rota contunduntur, & mortui deinde cadaver rotæ affigitur.

Submersio, & suffocatio in aquis est pœna capitalis, qua homo in aquis submersus suffocatur.

Combustio, vel *supplicium ignis* est pœna capitalis, qua homo rogo impositus concrematur atque in cineres redigitur.

Dissectio in quatuor partes est pœna capitalis, qua corpus hominis vivi in quatuor partes dissecatur, & singulæ cadaveris partes in singulis viis publicis suspenduntur.

Argumenta pœnarum capitalium dicuntur actus, quibus ultimo supplicio afficiendus, vel affectus majore ignominia afficitur ut cruciatu majore torqueaur.

Fustigatio est pœna corporis afflictiva, qua dorsum denudatum hominis per vias, & plateas oppidi, aut pagi alicujus virgis cæditur.

Castigatio in carcere est ea fustigatio, quæ privatim in carcere virgis fit per lictorem aut magistrum carceris.

Mu-

Mutilatio membrorum dicitur, si membrum aliquod corporis abscinditur aut amputatur.

Membrorum extensio est pœna corporis afflictiva, qua membra corporis violenta tractione extenduntur.

Damnatio ad triremes, metallum vel aliquod opus publicum est pœna corporis afflictiva, qua hominis corpus continuis ac duris laboribus defatigatur.

Stigmatum pœna est pœna corporis afflictiva, qua notæ quædam corpori hominis ferro candente inuruntur.

Pœna infamia dicitur, qua quis existimatione, & inde in civitate dependentibus juribus privatur.

Numella sunt pœna, qua collo hominis in publico loco circumdatur ferrum semicirculare, alteri suo extremo palo, vel muro affixo, altero autem sera munito. Is, cui pœna hoc irrogatur, *ad numellas sisti* dicitur.

Sepultura inhonesta dicitur, si cadaver humanum in loco inhonesto, veluti sub patibulo, aut in loco, ubi cadavera pecudum excoriantur, & decarnantur, conditur, aut saltem non permittitur, ut in cœmeterio humo demandetur, quod posterius forsan rectius *denegatio sepulturæ honestæ* appellari potest, quasi sepultura intermedia inter honestam, & inhonestam. Huc etiam referri potest *sepultura asinina*, quando non permittitur, ut cadaver cum cærimoniis solitis sepeliatur.

Talio dicitur pars vindicata, qua tantum quis patitur mali, quantum fecit,

Tortura dicitur actus, quo corpus criminis suspecti dolore ac cruciatu afficitur, ut ad confessionem criminis adigatur; & *spiritualis* juramentum purgatorium, criminis suspecto a judice delatum.

Quæstio vocatur interrogatio de crimine commisso, ad cujus confessionem per tormenta ejusdem suspectum adigere volumus.

Territio sunt minæ de torquendo, quæ intenduntur inquisito in loco torturæ destinato, præsente carnifice, & apparatu ad torquendum requisito. Est *verbalis* simulatio carnificis detorquendo inquisito sine omni tactu, & apprehensione ejusdem, & *realis*, quæ cum præparatoriis, & præludiis tormentorum leviusculis conjuncta est.

Inculpatus dicitur, qui de delicto, vel crimine aliquo postulatur.

Securitas de non incarcerando tributa reo a judice præstita ab ipso cautione de judicio sisti dicitur *salvus conductus*. Est *generalis*, qui tantummodo continet jus tuto ad judicium veniendi ac ac inde recedendi, non vero simul jus in loco judicii tuto commorandi extra diem juridicum, sine præstita cautione; & *specialis*, qui jus utrumque continet præstita cautione a reo.

Confrontatio est actus, quo testis, vel criminis socius confessus inquisito præsente ac negante narrat, quæ is fecit, factique circumstantias, consequenter testis ea, quæ deposuit, repetit atque confirmat.

Luxus dicitur sumtuosior cibi, potus, vestitus, & aliarum rerum cura, seu profusio pecuniæ solius ostentationis gratia.

Ergastulum, *Zucht-und Arbeithaus*, appellamus locum, in quo opus facere coguntur, qui, cum laborare possint, mendicare malunt.

Ptochotrophium dicitur locus, in quo aluntur egeni, qui labore suo ea, quibus ad vitæ necessitatem indigent, acquirere nequeunt, ac destituuntur cognatis vel amicis, qui indigentiæ ipsorum prospiciant.

Nosocomium, *Krankenhospital* dicitur locus, in quo ægrotantes pauperes aluntur, & curantur.

Orphanotrophium, *Waisenhaus*, *Kinderhospital* est locus, in quo educantur pupilli egeni.

Lusores dicuntur, qui lusum, *aleatores*, qui aleam tamquam artem exercent.

Magistratus tutelares sunt personæ, quibus publico nomine omnis cura tutelarum committitur; Collegium illarum personarum, quæ tutelarum publicam curam gerunt, vocatur *das Vormundschafftsamt*.

Tituli vocantur vocabula, quibus significatur præcedentia cujusdam supra alios ob merita in rempublicam.

Onera reipubl. sive *realia* seu *patrimonialia* dicuntur omnes sumtus reipublicæ administrandæ ac defendendæ causa faciendi seu res in commune bonum erogandæ, & conferendæ. Sunt *ordinaria*, quæ perpetuus usus in administranda republica exigit, *extraordinaria*, quæ casus quidam emergentes exigunt.

Ærarium publicum dicitur locus, in quo pecunia publica reposita est.

Prædia, quorum reditus assignantur rectori civitatis ad sustentandum se familiamque suam, dicitur *domania*, *Taffelgüter*.

Monetæ adulteratores dicuntur, qui vel monetam falsam cudunt, vel etiam radendo eamdem deminuunt.

Potestas legislatoria dicitur jus condendi leges.

Lex abrogari dicitur, quando declaratur, quod subditos non amplius obligare debeat. Unde *Ius abrogandi leges* est jus declarandi, quod ea non amplius obligare debeat, seu legis instar observanda sit.

Dispensatio est permissio actus lege prohibiti in casu singulari facta. Igitur *dispensare* idem est ac legem tollere in casu quodam singulari, consequenter de obligatione, quæ inde venit, aliquem liberare.

Interpretatio legum authentica est, quæ fit ab ipso superiore; *doctrinalis*, quæ fit secundum regulas rectæ interpretationis a judice; *usualis*, quæ usu fori introducta, seu secundum quam semper

pronunciatum in judicio, consequenter ea vim consuetudinis obtinet.

Ius gladii seu *vitæ ac necis* dicitur jus pœnam capitalem sumendi de maleficis.

Jus pęnas remittendi, & mitigandi dicitur *jus aggratiandi*.

Aboleri dicitur *accusatio*, vel *inquisitio*, si de crimine, cujus aliquis postulatur, non inquirendum, consequenter is sine ulla cognitione aut saltem inquisitione nondum absoluta e numero reorum eximitur.

Amnestia est oblivio injuriarum, & criminum patratorum in perpetuum decreta.

Jus affirmativum, quod in faciendo, *negativum* quod in non faciendo consistit.

Privilegium est concessio juris cujusdam, sive affirmativi, sive negativi, personæ uni, vel pluribus aut certo personarum ordini facta, quo cæteri carent. Est *personale*, quod individuo datur, & *familiæ*, quod cuidam familiæ. *Privilegiarius*, vel *privilegiatus* dicitur, qui habet privilegium.

Monopolium dicitur jus certas merces vendendi uni, vel pluribus aut certo cuidam collegio soli concessum.

Officium publicum vocamus administrationem certorum negotiorum vi imperii civilis gerendorum, & executioni dandorum. *Habiles ad id* dicuntur, quibus sunt vires sufficientes, ut eodem recte fungantur, & constans est ac perpetua voluntas eodem recte fungendi.

Crimen ambitus vocatur, quo quis data pecunia, vel alio illicito modo corruptis suffragiis munus quoddam publicum, vel dignitates civiles sibi parat.

Removeri ab officio dicitur, qui eodem privatur, *suspendi*, qui eodem fungi ad tempus certum vel definitum prohibetur, *dimitti*, cujus precibus annuit superior, ut eodem diutius fungi non teneatur.

Sa-

Salarium merces est, quæ solvitur pro operis reipublicæ in obeundo munere publico præstitis.

Accidentia sunt reditus, qui occasione officii, quo quis fungitur, eidem obveniunt.

Tributa sunt pecunia, quæ pro rebus immobilibus, & moventibus, vel etiam pro bonis, quæ quis possidet, aut negotio quæstuoso, pro capite suo solvitur, onerum reipublicæ ferendorum causa. Res de quibus tributum solvitur, sunt *tributaria*,

Annona vocantur species, quæ de agris, & moventibus redduntur ferendorum onerum reip. causa.

Vectigal dicitur pecunia, quæ ferendorum onerum reip. causa solvitur pro mercibus, & rebus consumtibilibus, pro vectura, & si qua sunt his similia.

Munera publica sunt onera, quæ sine dignitate gratis, vel etiam damno patrimonii, & sumtibus administrantis expediuntur.

Collecta dicitur pecunia, quæ a civibus usus cujusdam particularis gratia colligitur.

Jus circa sacra aut *sacrorum* est jus disponendi de his, quæ ad cultum divinum, & ecclesiam spectant.

Leges civiles dicuntur, quæ a superiore feruntur in civitate. *Theoria* earum est, quæ tradit modum leges civiles ex naturalibus efficiendi.

Consiliarii, quorum relatione atque consilio rector civitatis utitur in gubernanda republica, sunt *actuales*, quorum consilio actu utitur rector civitatis, & *titulares*, cui solum nomen consiliarii tributum augendæ dignitatis causa.

Protectio scientiarum, *&* *artium* est cura eas impedimentis exuendi.

Supplicare dicitur, qui cum reverentia precatur, ut quid fiat, vel non fiat.

Crimen læsæ majestatis dicitur factum, quo

 quid

quid adversus jura majestatica, & adversus personam ejus, qui imperium summum habet committitur.

Perduellio est crimen læsæ majestatis, quod quis adversus ipsam personam rectoris civitatis permittit, vita vel imperio eumdem privaturus vel remp. evertere aut labefactare conatur.

Invasor imperii dicitur, qui cum nullum jus ad imperium capessendum habeat, vi vel dolo id occupat.

Per *jus gentium* intelligimus scientiam juris, quo gentes, sive populi inter se utuntur, & obligationum eidem respondentium. Est *necessarium*, *internum*, *naturale*, quod consistit in jure naturæ ad gentes applicato, *voluntarium*, quod ex notione civitatis maximæ derivatur, consequenter quasi ab ejus rectore ficto definitum, ac ideo a voluntate gentium profectum intelligitur, *consuetudinarium*, quod longo usu introductum, & instar juris observatum, *positivum*, quod a voluntate gentium ortum trahit.

Civitas, in quam gentes coivisse intelliguntur, & cujus ipsæ sunt membra, seu cives, vocatur *civitas maxima*.

Per *officia erga gentes se ipsa* intelligo actiones, ad quas committendas, & omittendas gens quælibet sibimetipsi obligatur naturaliter seu vi legis naturalis.

Conservatio gentis qua talis consistit in duratione consociationis in civitatem. Ejus *perfectio* in aptitudine finem civitatis consequendi.

Gloria, *ein grosser Name* est consentiens laus bonorum, & peritorum seu bene judicantium.

Gentem barbaram dicimus, quæ virtutes intellectuales parum colit; *doctam*, quæ colit; *cultam*, quæ cultis utitur moribus, seu ad normam rationis, & suavitatem compositis; *divitem*, in qua multæ sunt familiæ divites; *potentem*, quæ vi aliarum gentium, qua vel ipsa, vel res ejus impetuntur,

tur, resistere potest; *tributariam*, quæ quotannis certum tributum solvere tenetur alteri.

Commercium dicitur jus emendi vendendique invicem res quascumque mobiles, & moventes, tam necessarias, quam utiles, & voluptuarias. Est *internum*, quod exercent, qui eidem imperio civili subsunt; *externum*, quod exercetur cum gentibus peregrinis.

Jura meræ facultatis, dicuntur, quibus quis uti potest, & non uti, prouti sibi visum fuerit, liber ab omni coactione externa. Unde, & *actus meræ voluntatis* dicuntur, qui unice a voluntate nostra dependent, seu, qui ad exercitium jurium meræ facultatis pertinent.

Quæ facta occupatione in communione primæva relicta sunt, dicuntur *res communes*. Quæ in communionem mixtam gentis totius deducta, & in ea manserunt, *res publicæ*. Quæ in communionem quamdam certorum cœtuum, aut communitatum mixtam venerunt, *universitatis*. Quæ denique dominio singulorum subjecta fuerunt, *singulorum*.

Naturalisatio est collatio juris indigenatus id advenam, vel peregrinum, & *naturalisari* dicitur is, cui jus indigenatus confertur.

Domicilium dicitur habitatio aliquo in loco constituta perpetuo ibidem manendi animo. Est *naturale*, quod quis nativitate consequitur ibidem, ubi pater domicilium habet, & *adscititium*, quod quis propria voluntate sibi constituit. Qui nullibi domicilium habet, *vagabundus* dicitur.

Patria dicitur locus, nimirum terra, vel urbs, in qua parentes, dum quis nascitur, domicilium habent, respectu habito ad gentem, vel certam quamdam de gente universitatem, cujus terra vel urbs ista est. Ab ea differt *locus nativitatis*, qui locus est, in quo nati sumus.

Amor patriæ amorem gentis, vel certam cujusdam universitatis de gente involvit.

Exsul

tributum solvendi. Significatus etiam extenditur, ut comprehendat jus, vi cujus certæ merces in certum locum importandæ ibidemque vendendæ, vel etiam merces advectæ in alias naves, vel plaustra transportandæ.

Consules dicuntur personæ, quibus in emporiis maritimis seu portubus demandatum est, ut privilegia & jura nationis seu gentis suæ custodiant & lites mercatorum definiant.

Dominus regionis dicitur, quatenus dominium gentis habet.

Jus albinagii dicitur quo exteri jure successionis in bonis defuncti civis vel peregrini excluduntur, & per consequens neç in testamento institui possunt hæredes, nec legata iisdem relinqui.

Præscriptio immemorialis dicitur, quæ nititur possessione immemoriali, seu si initii præsentis possessionis memoria non extat.

Potestates simpliciter, in oppositione autem ad minores *potestates summæ, die Gewaltigen* dicuntur personæ, quibus imperium summum in civitate competit. Sed *minores, die Obern*, quæ partem quamdam imperii dependenter a potestate summa ejusque nomine exercent.

Fœdus dicitur pactum a summis potestatibus boni publici causa in perpetuum, vel longius saltem tempus inter se initum. Pacta vero, quæ præstationes transitorias seu non iterandas continent, *pactionum* nomen retinent. Si diverso tempore fœdera pangantur cum diversis gentibus, quæ prius ineuntur, dicuntur *priora*; quæ post alia jam facta demum fiunt, *posteriora*; *amicitiæ*, quæ de officiis humanitatis præstandis, aut de non lædendo contrahuntur, *æqualia*, quando partes paciscentes, sibi invicem eadem aut æqualia promittunt: *inæqualia*, in quibus ab utraque paciscentium parte eadem aut æquivalentia non promittuntur; *inæqualia ex parte digniori*, si qui potentior est seu plus præstare valet, præstationes vel gra-

tuitas vel majores promittit; *ex parte minus digna*, si quis impotentior est, aut præstatione aliqua nimium oneratur pręstationes vel gratuitas, vel majores, aut tales, quæ eum valde gravant, promittat; *guarandigiata* ad quod *guaranda* vel *generalis* vel *specialis* accedit, hoc est promissio fœderato utrique vel alterutri facta, conventa servatum iri, si præstatur de iis omnibus, de quibus in fœdere fuit conventum, aut quæ saltem de nonnullis aut uno, vel altero convento, *belli*, quod belli causa initur; *neutralitatis*, quod cum gente quadam pangitur, eo fine, ut sit media.

Gentes fœderatæ dicuntur, quę fœdus quoddam iniverunt.

Fœdus inæquale ex parte indigniori cum imminutione imperii est, quo jus quoddam ad imperium civile spectans, seu pars quędam imperii potentialis quoad exercitium, vel etiam substantiam seu proprietatem transfertur in partem digniorem, aut saltem jus in omnes actus ad exercitium juris istius spectantes. At *sine imminutione imperii*, quo pars minus digna sese saltem obligat ad certum quid faciendum, vel non faciendum, quod alias vi summi imperii, vel libertatis naturalis, aut juris, qua genti sibi competentis non facere, vel facere licebat.

Sponsio est pactum sine mandato potestatis summæ, nec intra fines pręposítionis factum de republica,

Obsides dicuntur personę, quæ in securitatem debiti traduntur.

Sanctum dicitur, quod ab omni violatione immune esse jubet publica, vel communis gentium salus. Unde *sanctitas* est inviolabilitas rei, vel personę, a salute publica vel communi omnium gentium salute requisita.

Fides tacita dicitur, quę nititur consensu gentium tacito, ac per consequens in iis, de quibus tacite convenitur, vel promittuntur, datur.

Contra-

Digitized by Google

Controversia gentium & rectorum civitatis sunt contentiones eorumdem, de juribus sibi competentibus aut injuria facta, *gravamina* vero querelæ de jure manifesto sibi ab altera gente vel rectore civitatis altero denegato, vel de injuria sibi facta aut facienda.

Retorsio juris dicitur constitutio, qua in subditos alterius gentis decernitur jus, sive positivum, sie negativum, quod ipsa utitur in subditos nostros, seu breviter; est usus juris in alteram gentem, qua ipsa in nostram utitur.

Ablatio bonorum civium alterius gentis; vel etiam rectoris civitatis privatorum expletionis juris, vel pignorationis causa dicuntur *repressalia*, *pignoratio inter populos diversos*, *VVithernamium*.

SCHOL. Vid. LUD. MART. KAHLE diss. de justis repressaliarum limitibus, tum a gentibus, tum a statibus S. R. I. G. observandis, Gotting. 1746. rec. 1747. & in T. I. opuscul. minor. p. 113. seqq.

Androlepsia sive *viricapio* dicitur captura civium gentis, quæ nobis vel civibus nostris jus denegat, pignorationis loco.

Milites dicuntur personæ, per quas auctor belli vim infert parti alteri, cum quo bellum gerit. Si sunt peregrini, qui sponte sua nomen dant militiæ *conductitii*. Si loca munita defendenda ve custodiant, & custodes defensoresque agunt tranquillitatis securitatisque locorum munitorum, *præsidiarii*. Si in stationibus excubias agunt, *stationarii*. Si in limitibus, & propugnaculis collocantur, ut illis præsidio sint, *limitanei*. Si sunt præsidia maritimorum littorum & portuum, *custodes oræ maritimæ*, *Kustenbelvahrer*,

Arma dicuntur res omnes, quibus ad vim alteri inferendam, aut eamdem a se avertendam, vel adversus eam nos tuendum utimur.

Præfecti militum dicuntur personæ, quibus a potestate summa certum imperium in milites tributum & certæ functiones bellicæ demandatæ sunt.

Sed

Sed *duces* excellenter illi, quibus imperium in integrum exercitum tributum & summa belli commissa est.

Æquilibrium inter gentes, dicitur gentium plurium secundum potentiam ad se invicem relatarum talis status, quo potentiæ unius præpotentis vel quarumdam conjunctæ potentia conjuncta aliarum æqualis est.

SCHOL. JO. JAC. LEHMANNI trutina, vulgo bilanx Europæ, norma belli pacisque hactenus a summis imperantibus habita, Jen. 1716. & LUD. MART. KAHLE diss. de trutina Europæ, quæ vulgo appellatur die blance von Europa, præcipua belli, & pacis norma, Goetting. 1744. & in T. I. opusculor. minor. p. 205. seqq.

Auxilia, *Copiæ auxiliares*, *auxiliares* dicuntur copiæ, quas genti bellum gerenti mittit gens alia, cujus bellum non est.

Subsidia dicuntur pecuniæ, quæ genti bellum gerenti a gente alia, cujus bellum non est, solvuntur, ut illa sumtum in rem militarem facere possit.

Casus fœderis dicuntur concursus circumstantiarum, sub quibus fœdus initum, sive expresse fuerint dictæ, sive tacite suppositæ.

In bello medii dicuntur, qui neutri belligerantium parti adhærent, consequenter bello sese non immiscent. Dicuntur vulgo *neutrales*, quia neutri parti belli causa favent, & status gentium, quæ nullam belligerantium partem in bello sequuntur, vocatur *neutralitas*, & earum terræ vocantur *terræ neutræ*.

Clarigatio dicitur publica belli denunciatio facta genti aut ejus rectori a gente altera seu rectore ejusdem. Est *conditionata*, qua declaratur, bellum illatum iri, nisi reddantur res, aut de injuria facta satisfiat, consequenter ea, cum repetitione rerum statim conjungi potest, aut cum postulatione satisfactionis pro injuria irreparabili facta.

ctа. At *pura*, qua sine conditione, significatur, bellum illatum iri, ad consequendum id, quod debetur, aut restituendum, consequenter eidem locus est, si alter jus nobis tribuere non vult nostrum, aut eum non tributurum esse constat.

Hostes dicuntur illi, quibus inter se bellum est.

Publicare bellum dicitur, qui potestatibus summis aliis atque subditis suis bellum a se susceptum palam facit. Itaque *publicatio belli* est significatio ejus facta ab eo, qui bellum suscepit, potestatibus summis aliis atque subditis suis. Scriptura typis expressa, qua bellum offensivum declaratur, dicitur *manifestum*, *antimanifestum* vero, quæ eidem de bello defensivo ab altera belligerantium parte opponitur, & utraque communi nomine *declaratio belli*.

Plagium dicitur surreptio hominis, qui alterius cujusdam potestati subjectus est.

Stipendium dicitur æs, quod militibus eorumque præfectis sustentationis causa datur, vel merces, quę datur pro labore militari, seu bellorum ministerio.

Jus militare dicuntur leges, in quibus disponitur de iis, quæ a militibus eorumque præfectis fieri, aut non fieri debent, aut quæ iisdem permittuntur.

Quidquid hostis quomodocumque belli causa agit, *actus bellicus*. *Bellica operatio* vocatur actus bellicus, quo hosti vel vis infertur, vel ad vim eidem inferendam aut arcendam vim ejus via sternitur. Operationes vero bellicæ, quibus hosti vel rebus ejus vis actu infertur, *hostilitates* appellantur.

Transfugæ dicuntur, qui a nostris ad hostes fugiunt, & eorum in bello causam contra nos sequuntur.

Contributiones militares dicuntur collatio pecuniarum aliarumque rerum fungibilium ad sustentandum exercitum a subditis hostilibus facta.

Dire-

Direptiones sunt ablationes violentæ rerum mobilium ex hostilibus ædibus, vel locis aliis, in quibus asservantur, vel absconduntur, a militibus factæ.

Præda dicuntur res mobiles hostiles in bello captæ a militibus; *manubiæ* vero pecunia per quæstorem ex præda vendita contracta.

Stratagemata sunt actus bellici improvisi astutiæ debiti.

Res hostiles omnes, in primis tamen immobiles, & inter has urbes ac terræ *occupari* dicuntur, quando ab hoste in suam rediguntur potestatem. Unde *occupatio bellica* est actus, quo vi armorum res hostiles rediguntur in suam potestatem.

Percussor dicitur, qui mercede conductus ex insidiis, & dolo hostem interficit, & *assassinus*, qui alterum accepta pecunia mandato alterius occidit.

Exploratores dicuntur, ut inquirant, quonam in statu sint res hostis, & quidnam in nos moliatur.

Restitutio rerum, & personarum ab hoste captarum, & in potestatem gentis suæ venientium in statum pristinum, *postliminium* appellatur. *Postliminio redire* dicuntur personæ, quæ in bello captæ ab hoste iterum veniunt in potestarem gentis suæ. *Postliminio* autem *recipi* dicuntur res, quæ in bello ab hoste captæ iterum veniunt in potestatem gentis suæ.

Induciæ dicuntur suspensio actuum bellicorum, ab utraque parte belligerantium intra tempus conventum. Sunt *universales*, quibus, omnes actus bellici suspenduntur, & *particulares*, quibus saltem suspenduntur certæ, de quibus conventum.

Commeatus dicitur jus secure hinc inde eundi, concessum vel personis vel rebus.

Pax dicitur status, in quo nobis cum nemine bellum est.

Turba-

Turbator quietis publicæ dicitur, qui bellis temerariis atque injustis lacessit gentes alias.

Amnestia dicitur injuriarum, & offensionum antea illatarum in sempiternum sancita oblivio.

Rebelles dicuntur subditi, qui arma injusta sumunt adversus rectorem civitatis, atque is status *rebellio* vocatur.

Tumultum dicimus cum statum, quo turba confluens vim infert magistratibus, aut aliis potestatibus, vel earum rebus, tum etiam privatis eorumque rebus aut saltem inferre minatur.

Pax rumpi dicitur, si pactio pacis non servetur, seu si quis quid facit, quod vi ejusdem facere non poterat, nec debebat, aut non facit, quod vi ejusdem facere debebat. Ideo *ruptio pacis* vocatur factum tam positivum, quam negativum pactioni ejus contrarium, &, qui pacem, vel fœdus rumpit, *ruptor pacis*, vel *fœderis*.

Articuli pacis dicuntur singulæ conventionis partes, quibus distinguuntur ea, de quibus sigillatim quidpiam fuit conventum. *Articuli* autem *connexi* sunt, in quibus convenitur de rebus ad eamdem causam pertinentibus; *diversi*, in quibus convenitur de rebus ad diversam causam spectantibus.

Publicatio pacis est actus, quo tam militibus quam subditis significatur, pacem factam, consequenter bellum finitum.

Legati dicuntur personæ, quæ a gente una seu ejus rectore ad gentem aliam seu rectorem ejusdem publici cujusdam negotii causa mittuntur, seu vicarii rectorum civitatis in alia civitate, vel inter exteros. Sunt *superiores*, quibus negotia majoris, vel & maximi momenti committuntur, quæ ad usum jurium majestatis præcipuorum pertinent, vel cum illis tamen arctius conjuncta sunt, & *inferiores*, quibus non nisi minoris aut minimi momenti negotia committuntur. Sunt *sollemnes* seu *aperti*, qui manifesto splendore legatorum

omnibus conspicuos se præbent, & præbere jubentur, & *occulti* seu *clandestini*, qui modo incognito legationem obeunt, nec legati dicuntur, licet sint revera, sed clam. Illi sunt *sacri*, qui non tantum sacra seu religionis negotia tractant, sed quoque a sacris mitti solent, & *saculares*, qui politica curant negotia. Quo ad splendorem externum alii sunt splendidiores, & *primi ordinis seu honoris*, uti *legati a latere*, qui e numero purpuratorum a Papa missi sunt, *legati illustres*, qui ab Imperatore, vel rege, immo illustrissimi, & excellentissimi, *Ambassadores*, & *secundi ordinis*, uti *sacri*, Nuncii Apostolici, & *saculares*, legati vel ablegati. Sunt *extraordinarii*, qui ad unicum tantum negotium brevi tempore absolvendum mittuntur, & *ordinarii*, qui ad diuturna negotia adhibentur. Legati inferioris generis vocantur *residentes*, qui sedem diuturnam aut perpetuam habent in aliena civitate, vel emporio, ubi aula non est, & *agentes* qui publici sunt privatorum negotiorum ipsis commissorum seu regis, seu ejus subditorum curatores sollicitatoresque. In hunc censum quoque veniunt Papæ *internuncii*, sed ab ipsomet, seu a nunciis, vel legatis relicti, & surrogati. Si præter manifestum arcano quoque mandato instructi sunt, quod ignorare debet is, ad quem mittuntur, & cum quo agunt, non tamen censentur nisi ex manifesto mandato, *plenipotentiarii*, *Bevollmachtigte* dicuntur. Sunt *assidui*, qui per plures annos in aulis externis resident.

Secretarius legationis est legato adjunctus minister legantis, qui proprio instructus est mandato, quo continentur quæ legati jussu, & quæ soli, vel legato inscio ipsi peragenda sint.


SCHOL. Vid. FRID. GUIL. GUTSCHMID de prærogativa ordinis inter legatos, Lipf. 1755. Jo. ERN. SCHUBERT diss. de obligatione plenipotentiarii erga ptincipem, & rempublicam, Jen. 1741.

Cha-

Character repræsentativus dicitur signum repræsentationis mittentis apud eum, ad quem mittitur.

Litteræ credentiales seu *fidei* dicuntur, quas mittens dat legato ad eum, ad quem mittitur, & in quibus eum legatum suum declarat, seu testimonia illa publica, quæ plenam fiduciam, & auctoritatem conciliant legationi.

Jo. FRID. JUGLERI diss. de litteris credentialibus legatorum, Lips. 1751.



DEFINITIONES
EX
PHILOSOPHIA MORALI.

PHilosophia moralis, sive ethica est scientia practica, docens modum, quo homo libere actiones suas ad legem naturæ componere potest.

Sensus acutus dicitur, si ad talia percipienda aptus est, quæ ab aliis, sive hominibus, sive animantibus eodem præditis ipsum effugiunt. Itaque *acumen sensuum* est potentia talia percipiendi, quæ aliorum sentientium sensum, vel prorsus effugiunt, vel difficulter percipiuntur. Dicuntur autem *difficulter percipi*, quæ nonnisi exquisita attentione ad sensibile percipiuntur, aut, si mavis, appercipiuntur. Estque *acumen* hoc vel *natura*, quod natura sentienti competit, vel *acquisitum*, quod nonnisi usu comparatum.

Actio violenta in organon sensorium dicitur, quæ ordinariam, sive a sensibili, sive vi interna profectam excedit.

Curiosus dicitur is, quem cognitio rerum propter se delectat.

Exercitia, quibus nimirum habitus comparatur, *faciliora* dicuntur, quæ non multos actus requirunt, & quibus, vel nulla, vel minora impedimenta objiciuntur.

Latebra in animis hominum dicuntur concursus facultatum ad actum quemdam animæ observabilem minime observabiles, seu cujus nobis minime conscii sumus. Sed *recessus* influxus actuum præteritorum animæ in actum quemdam præsentem.

Littera elegantiores dicuntur disciplinæ, quæ

circa

circa sermonem, vel etiam factorum recensionem versantur.

Acutus, *scharfsichtig* vel *acer scharfverstandig* dicitur, qui acumine præditus est, seu insigni judicio pollet. Hinc *acies* mentis, vel critica expedita habitus est egregii judicii quam optime exculti. Quæ in consiliis critica consiliaria, & *acritas*, vel *acrimonia* consulendi dici posset in discernendis veris a falsis, futuris a non futuris. Tunc vocatur *sagax*, cujus sensus est acutus, seu cujus subolenti animo parva vestigia satis sunt, per quæ cognoscere reliqua connexa possit; tum ingeniosus occulta acute promteque animadvertens *spurfindig*: Hinc *sagacitas* habitus est insignis ingenii quam optime exculti.

Acumen subtile dicitur, quo ea distinguuntur, quæ ob differentiam non satis manifestam minime distingui posse putabantur, & absolute *summum*, si & in omnibus, quæ dantur, & dari tantum, vel non dari possunt, rebus, & in unaquaque earum quidquid differt, & discerni in primis ejus proximisque notis potest, simul, immutabiliter, subtilissime perfectissimeque discernit.

Hebetudo intellectus dicitur impotentia distinguendi ea, quæ diversa in rebus insunt. Et hinc *hebes* dicitur sine acumine bono.

Ingenium acutum dicitur, quod cum acumine vulgari conjungitur; *subtile* quando subtile fuerit acumen, quod idem comitatur, & *vulgare*, quod acutum non est, consequenter ad cujus actum ingenium minime vulgare non concurrit.

Reductio veritatum universalium *ad sensum communem* est actus intellectus, quo notiones eorum, quæ a sensu remota sunt, per ideas rerum sensibilium in vulgus notarum ob similitudinem animo ingenerantur.

Meditationes casuales sunt, quarum objectum nobis in memoriam revocamus per ea, quæ jam sensu percipimus, vel est res ipsa casu sensu percepta.

Lusus ingenii dicuntur actus, qui ad nudam delectationem tendunt.

Doctrina profunda dicitur, quæ constat notionibus adæquatis. Qui doctrina profunda pollet, *profundus*.

Ingenium profundum dicitur, quod cum profunditate intellectus conjungitur. Hæc est *absolute summa*, si in omnibus, quæ cogitari possunt rebus, sive actu dentur, sive dari tantum possint aut nequeant omnes notas ulteriores ultimasque perfectissime, simul sempiternumque perspectas habet.

Lexica disciplinarum dicuntur, in quibus termini, hujus vel illius disciplinæ proprii explicantur; *realia*, in quibus non tantum nomina rerum, sive termini, sed etiam res ipsæ explicantur.

Ars observandi communis est, quæ solum usum facultatum animæ requirit, & *artificialis*, quæ præter eumdem adhuc exigit certorum instrumentorum usum. Pro diversitate artis observandi *observationes* distingui possunt in communes, & artificiales, quamvis nomen trahant in casu particulari nunc ab instrumentis, nunc a disciplina.

Ars comminiscendi est habitus fingendi in mente, quæ non sunt, & quæ ita finguntur, *commenta* appellantur.

Medium certum aut *verum*, dicitur, quo finem intentum consequimur, seu nos consequi posse scimus.

Stultitia est habitus præ præcipitantia statuendi sive de fine, sive de mediis, sive de utrisque.

Prudentia est habitus, in determinanda actione sua rationem habendi circumstantiarum alienarum præsentium. Habitus ei contrarius, quo scilicet facimus, quod eidem e diametro repugnat, circumstantiis nimirum favorabilibus utendo tamquam diversis, & minus favorabilibus atque adversis tamquam favorabilibus, *dementia* vocatur.

Sicuti imitationem sapientiæ in actionibus ma lis

lis *aſtutiam*, ita imitationem prudentiæ *calliditatem* appellare lubet.

Voluntas dicitur *corrumpi*, ſi efficitur proclivis ad malum, aut ſegnis aut iners ad bonum. Ejus *corruptio poſitiva* eſt proclivitas ad malum, hoc eſt; ad committendum actiones malas; *privativa* vero ſegnities atque inertia in committendis actionibus malis. Conſiſtit autem *ſegnities* in difficultate ſeſe determinandi ad committendum actionem bonam, *inertia* vero in negligentia committendi actiones bonas, ſicuti *proclivitas* in facilitate ſe determinandi ad male agendum. Ex adverſo *voluntas corrumpi* dicitur, ſi, quod bonum eſt, faſtidium creat, ut actiones bonas fugiamus. Itaque *corruptio voluntatis* eſt repugnantia quædam in determinatione ad bene agendum.

Bonum conſervativum dicitur, quod facit ad conſervationem perfectionis eſſentialis. At *malum deſtructivum*, quod perfectionem eſſentialem labefactat, vel funditus evertit, conſequenter hominem aut ſtatum ejuſdem imperfectioni cuidam obnoxium reddit. Eſt vel *patens*, quando organum corporis deprehenditur ineptum ad eum uſum, quem naturaliter habet, aut ex ejus læſione dolor percipitur, vel *latens*, quando ignoramus, organum quoddam corporis ad eum uſum eſſe ineptum, quem naturaliter habet, aut ex ejus læſione nullus percipitur dolor, vel adeo parum doloris, ut vix ac ne vix quidem appercipiatur.

Bonum perfectivum dicitur, quod facit ad perfectionem accidentalem naturæ humanæ. Ejus oppoſitum *malum deformans* aut *deformativum*, quod ad imperfectionem accidentalem naturæ humanæ facit, vel *privativum*, quod conſiſtit in carentia perfectionis accidentalis, quæ acquiri poterat, conſequenter a non uſu facultatum pendet, vel *poſitivum*, quod conſiſtit in imperfectione accidentali acquiſita, conſequenter ab abuſu facultatum pendet; vel *defectivum*, quod defectum

 quem-

quemdam arguit in perfectione accidentali acquisita, consequenter bonum perfectivum labe quadam inficit.

Bonum multiplicativum dicitur, quod facit ad conservandam perfectionem essentialem, & acquirendam accidentalem ad conservandam speciem, consequenter ad prolis generationem, & educationem requisitam. Ejus oppositum *malum diminutivum*, quod causat imperfectionem conservationi speciei, ideoque generationi, & prolis educationi, sine qua species conservari nequit, contrariam.

Bonum communicativum dicimus, quod facit ad conservationem perfectionis essentialis, & acquisitionem accidentalis aliorum. Ejus oppositum *malum illatum* est, quod quomodocumque facit ad labefactandam, vel prorsus evertendam perfectionem essentialem, & ad promovendam imperfectionem.

Bonum communionis dicitur, quod facit ad communem sociorum aut status eorumdem qua talium perfectionem. Bonum, quod saltem respicit individuum, in oppositione ad bonum communionis, vocatur *bonum suitatis*. *Malum communionis*, quod ad communem sociorum qua talium, aut status eorumdem imperfectionem facit, est vel *privativum*, quod in carentia boni consistit, vel *positivum*, quod imperfectionem quamdam actu affert perfectioni contrariam. Malum, quod saltem respicit individuum, in oppositione ad bonum communionis, dici potest *malum salsitatis*.

Statum jucundum dicimus, in quo voluptate fruimur, *tædiosum* vero, in quo molestia afficitur animus. Est quidam intermedius, in quo nec molestia torquetur animus, nec voluptate perfunditur, quem *tolerabilem* appellare lubet, sicuti *variabilem*, in quo voluptates, & molestiæ alternant.

Voluntas bona seu *animus bonus* dicitur, quæ ad actiones bonas committendas generaliter determinata

ta est, & *noluntas bona*, quæ ad actionem malam non committendam generaliter determinata est.

Voluntas mala dicitur, quæ generaliter determinata est ad actiones malas certi generis committendas, & *noluntas mala*, quæ generaliter determinata est ad actiones bonas certi generis non committendas. In primis *malus animus* dicitur, si voluntas generaliter determinata ad nocendum aliis.

Voluntas, & *noluntas emendari* dicitur, si corrupta efficitur bona, & perficitur, seu mala efficitur bona, & perfecta.

Voluptuosus dicitur is, cujus voluntas determinabilis est per delectationes sensuales.

Lucri cupidus, *lucrio*, *lucro*, dicitur, cujus voluntas determinabilis est per lucrum.

Honoris cupidus dicitur, cujus voluntas determinabilis est per honorem.

Lenitas erit tædium lene ortum ex perceptione mali, quod opiniones nostras injuria nulla videtur, aut saltem levis, atque ab animo ulciscendi alienum.

Affectus contrarii dicuntur, qui simul existere nequeunt in eodem subjecto. Si effectu uno præsente concitetur alius, ille *prædominari* dicitur, qui vehementior est, ut alterum supprimat.

Usus affectuum in eo consistit, ut tendant ad obtinendum verum bonum, & ad depellendum verum malum, *abusus* vero, ut tendant ad malum committendum, bonum vero omittendum, vel impediendum, seu homines impellant ad actiones malas.

Regimen affectuum est actus intellectus, quo bonum verum ab apparente separatur, ne falsa opinione concitetur, & si opinione falsa concitetur affectus, eadem corrigitur.

Labes animi vocatur quilibet defectus rectitudinis in appetitione. vel aversatione data non abusu, vel abusu facultatis cujuscumque dependens.

Animum purum dicimus, si appetitioni, & aversioni,

sioni, seu volitioni, & nolitioni nihil vitiosi inhæret, seu si fuerit ab omni prorsus labe immunis. Et in hac immunitate seu carentia omnis labis consistit *puritas animi*. Unde simul patet, *animum impurum* esse, & *impuritatem animi* consistere, si appetitioni, & aversationi, seu volitioni & nolitioni vitiosi quidpiam inhæret, aut utraque tota vitiosa sit, seu si labe quadam sit infecta.

Pietas pomposa dicitur, quæ proditur actibus externis aliorum oculos tenentibus.

Servire dicuntur servi, si heri sui imperium exequuntur. Ideo *Deo servire* dicitur, qui Dei tamquam domini sui imperium bene, ac sedulo exequitur.

Dilectio Dei est voluntas faciendi ea, quæ Deo placent, & *caritas* est virtus, qua Deum diligimus, seu habitus diligendi Deum.

Aversio a Deo vitium est, quo homo voluptati ex perfectionibus divinis percipiendæ præfert voluptatem ex rebus aliis percipiendam.

Unio hominis cum Deo est identitas voluntatis ac noluntatis nostræ, & voluntatis atque noluntatis divinæ.

Deum odio habere dicitur, qui ex iis, quæ de Deo cognoscit, tædium sive molestiam percipit. Igitur *odium Dei* seu *erga Deum* est dispositio animæ, tædium percipiendi ex iis, quæ de Deo cognoscimus.

Socordiam appellare lubet privationem timoris Dei tam filialis quam servilis.

Laus divina dicitur oratio, qua nostrum de perfectione divina judicium significamus.

Animum submissum dicimus, qui propterea in venerationem alterius propendet, quod quis eum superiorem, se inferiorem agnoscit.

Irreverentia privative sumta denotat absentiam reverentiæ, at positive actus externos reverentiæ & magnificationi contrarios.

Animus tranquillus dicitur, qui ab affectibus molestis

lestis omnique tædio liber est, *lætus* vero, qui voluptate perfunditur. Itaque *tranquillitas* seu *quies animi* est vacuitas a molestis curis cognitionibusque, seu ab internis veris tædiis, eorumque metu; & *securitas* vacuitas a metu tædiorum externorum.

Sermo expressus dicitur, qui verbis clara voce prolatis, ut ab adstantibus percipi possint, constat, *tacitus*, si demissa voce verba proferimus, ut ab adstantibus percipi nequeant, vel in conatu per organa loquelæ formandi verba subsistimus.

Per *devotionem* intelligimus attentionem ad ea quæ cogitamus & loquimur ad Deum precantes, per *ardorem* vero *precandi* animum affectibus inter precandum commotum.

Mundo frui dicitur, qui rerum in hoc universo usum in felicitatem suam vertit.

Vita beata dicitur summi boni fruitio.

Habitus se diligendi *caritas sui* sive *propria* dicitur. Est *perfecta* si nos propter Deum, sin propter nos saltem diligimus, *imperfecta*.

Dilectio sui propter Deum est directio dilectionis sui in finem, propter quem Deus hoc universum ipsumque hominem condidit.

Præposterum felicitatis studium *perversionem dilectionis*, vacuitatem animi ab omni felicitatis cura *torpedinem* appellamus.

Voluptates corporis vulgo dicuntur, quæ ex sensationibus qua talibus oriuntur, nimirum non ex objecto sensibili, sed ex mutatione, quæ vi actionis sensibilis in organo sensorio producitur.

Errores, quorum unus ex altero necessario sequitur, dicuntur *connexi*, iis autem oppositi, *inconnexi*. Quod si in connexorum unus alteri repugnat, ut scilicet uno posito tollatur alter, *contradictorii* sunt, in casu opposito vocantur *combinabiles*.

Perceptio jucunda dicitur, cum qua voluptas una per-

percipitur; sed *molesta*, cum qua molestia appercipitur.

Per *curam animæ* intelligimus eam, quam conferre debemus in perfectionem animæ accidentalem.

Cura Corporis dicitur, quæ confertur in perfectionem corporis tam essentialem conservandam, quam accidentalem acquirendam, conservandam & perficiendam.

Nausea dicitur solicitatio stomachi ad vomitum ex sapore & odore potissimum, cujus veluti terminus a quo est molestus quidam sensus aversionem concitans.

Somnus moderatus dicitur, qui membris corporis delassatis instaurandis, & viribus labore sive corporis sive animi exhaustis refocillandis sufficit. Somno ei oppositæ sunt *nimiæ vivigliæ*.

Retentorum nomine venit, quidquid cibi ac potus assumti corporis nutritioni utile, *excretorum* vero, quæ tamquam inutile excernenda sunt.

Stupor sive *stupiditas* appellari solet abstinentia qvoluptatibus gestum, & tactum afficientibus, uantumvis licitis.

Per *præparationem ad praxim officiorum erga alios* intelligimus dispositionem animi ad officia erga alios præstandum ea intentione, ut obligationi nostræ satisfaciamus.

Dilectio aliorum propter Deum est directio dilectionis eorumdem in eum finem, propter quem Deus hoc universum ipsumque hominem condidit.

Bonum jucundum dicitur, quod saltem delectationem affert, *utile*, quod ad aliud usui est, vel commodum quoddam præstat, *honestum*, quod meritum honoris ac laudis confert

Jus puniendi quod dicimus, *jus ulciscendi* vocatur, ideoque quod nobis punitio est, *ultio* vocatur.

Per *urbanitatem* intelligimus virtutem, quæ regit decorum, at per *rusticitatem* vitium in neglectu decori & habitu indecori consistens.

Habi-

Habilis ad matrimonium dicitur, is, per quem finis matrimonii obtineri poteſt, *inhabilis* autem per quem finis matrimonii obtineri nequit. Verum *habilitas* eſt duplex, altera *phyſica*, quæ in potentia generandi, altera *moralis*, quæ in potentia liberos procreatos educandi conſiſtit.

Inhabilitas civilis ad matrimonium ſeu *poſitiva* dicitur, quæ naſcitur ex lege civili, qua certæ perſonæ cum perſonis certis matrimonio conjungi prohibentur.

Felicitas conjugalis conſiſtit in voluptate, quem, conjux conjugi creat, atque in abſentia tædiorum, quæ conjugi creare poterat.

Providentia conjugalis eſt prudentia, qua conjuges ſibi proſpiciunt in futurum, nec conditio ſua præſente deterior, ſed, quantum fieri poteſt, potius melior reddatur, aut, ſi morte matrimonium diſſolvi contingat, conditio ſuperſtitis.

Per *calamitatem* intelligimus malum phyſicum, in quo fortuna adverſa incidimus.

Per *indulgentiam* intelligimus mollem educationem, qua parentes liberis permittunt, ut faciant, quod placuerit, nec eorum vitioſitatem ac malitiam ea ſeveritate, qua opus erat, caſtigant.

Rectus uſus patriæ poteſtatis in eo conſiſtit, ut actiones liberorum legi naturæ conforment, nec permittant eidem contrarias; & ſecus facientes, tam verbis quam verberibus caſtigent, prous opus fuerit.

Nutrix vocatur femina, cui infans alienus lactandus committitur.

Præparationis nomine veniunt actus iſti effectuſque ſine quorum ope alii fieri nequeunt. Itaque *animi*, tales continet actiones, & habitus, quibus is efficitur idoneus ad alia deinde facilius in poteſtatem ſuam redigenda; *facultatum inferiorum* amplificat earum uſum, & habitus, ut miniſterio intellectus fiant aptiores, ac ſine iſta eſſent; *intermediorum* illarum uſum, & habitus

mini-

ministerio intellectus reddit utiliores; *superiorum* ad intellectus usus habitusque facilius acquirendos facit.

Praeparatio animi ad perficiendam voluntatem consistit in actibus, & habitibus acquisitis, quibus indiget emendatio voluntatis incipienda. Itaque *facultatem agendi inferiorum* earum dirigit usus, & habitus ad promte obtemperandum rectae voluntati; *mediarum*, earum usus salrem externos, & habitus ad rem debite gerendum voluntati accommodati; *superioris* ad illius usus habitusque ope nonnullius distinctae cognitionis manuducit actus ejus utcumque legibus divinis conformando.

Moraliter seducitur, quisquis suasu, vel exemplo aliorum incitatur ad committendas actiones legi naturae repugnantes, omittendasve in eadem praeceptas. Hinc *seductio* est irritatio alterius ad peccandum, seu actio libera, qua alter determinatur ad ea, quae legi naturae sunt adversa.

Patronum dicimus largitorem, & defensorem seu statorem fortunae alterius, & *patrocinium* animum habitumque largiendi, & tuendi alterius fortunam seu fortunae bona.

Administratio latius dicta nihil nisi exercitium sui usus juris cujuspiam. Sed *bonorum* est exercitium dominii, vel clarius, usus. Est *propria*, ipsius domini usus dominii sui, vel administratio eorum per se ipsum facta, & *vicaria*, usus dominii alterius seu administratio eorum per alium facta.

Pietatem liberorum erga parentes dico genus omnium virtutum officiorùmque, quae liberi parentibus debent.

Uti *lenitatem* generatim dicimus moderationem animi circa officia aliorum erga nos, sive prudentem rigidi juris remissionem; ita *lenitatem herilem* vocamus animum erga servientes satis moderatum, aut virtutem, quae rigorem juris herilis prudenter temperat, & remittit, ubicumque id consultum deprehenditur.

Cle-

Clementiam dicimus æquitatem in pœna saluti attemperanda communi, vel lenitatem in puniendo. Si sapienter pœnam differt, *longanimitas* audit.

Virtutes servientium, & *serviles* vocamus eas virtutes, quibus servientes suis officiis optime funguntur, vel quibus indigent servientes ad bene serviendum.

Fidelitatem appellamus virtutem socii, commoda alterius ut sua integerrime curandi, & damna ejus æque ac suamet avertendi.

Commune illud bonum, cujus obtinendi causa domus constituitur, dicemus *florem domesticum* expeditumque ad illum progressum *salutem domesticam*.

Quæ corporis humani usibus dicantur vitæ genera, vel versantur circa consequendas multiplicandasque res naturales, vel circa illarum ad usus humanos conformationem præparationemque, quando per se ad illos aptæ non sunt. Quia in prioribus id, quod obtinetur, natura efficit, in posterioribus opera, & ars humana, illos acquirendi res corpori inservientes modos dicere licet *naturales*, hos *artificiales*; vel illos *primarios*, hos *secundarios*. Hinc, & illa vulgatoria *vitæ genera*, *primaria*, hæc *secundaria* appellari possent.

Eo quod primaria illa usitatoria vitæ genera versantur circa res naturaliter provenientes, differunt illa pro ratione rerum illarum naturalium, & quot classes erunt simpliees illorum vitæ generum. Res autem illæ ad tria naturæ regna, quæ dicunt, referuntur, scilicet ad *animale*, *vegetabile*, & *minerale* seu *subterraneum*.

Cultura animalium vel est *terrestrium*: vel *aquatilium*, vel *volatilium*. Terrestria quadripeda, vel sunt mansueta, vel fera. Aquatilia, vel marina sunt vel fluviatilia. Volatilia, vel aves sunt, vel insecta. Circa animalia mansueta, vel circa rem pecuariam

riam versatur omne *genus vitæ pastoritium* & *pecorarium*, ut bubulci, equisones, epiliones, caprarii, subulci, rel. Circa feras capiendas desudant *venatores*, circa aquatilia *piscatores* varii etiam margaritarum, circa aves tum *aucupes*, tum qui anseres, anates, columbas, gallinas, cetera alunt, circa insecta *apiarii*, *cultores bombycum*, *coccinellæ*; *cocci*, rel.

Cultura vegetantium terrestris dirimitur in *agriculturam*, *sylviculturam*, *horticulturam*, *pascua ac prata & vineas*. Hinc agricolæ, & rustici, sylvicolæ & saltuarii, hortulani, olitores, arboratores, ut, pomarii, olearii, reliqui, viridarii, toparii, rel. vinitores, & quæ sunt nomina reliquorum rei rusticæ debitorum,

Subterraneorum *nobiliora* & cariora sunt gemmæ & metalla, *media* sunt mineralia, videlicet salia, sulphura, & mercurialia, *infima* lapides varii, cum petrefactis terræque variæ, ardentes & carbones fossiles accedent.

Secundaria vitæ genera corpori potissimum inservientia partim res illas *praparant*, seu fabricant ex illis arte facta, partim illas res arte factas cum aliis, seu naturalibus, seu arte factis *permutant*. Hujus generis sunt *artes inferiores* & *opificia admodum diversa*, pro triplici regno rerum naturalium, quibuscumque nominibus insigniantur.

Recepto per necessitatem commoditatemque vitæ pecuniæ usu, orta sunt pecuniaria vitæ genera, mercatura omnis generis, *fæneratio* ex usuris, *locationes* & *conductiones*, ut rerum ita & operarum, quæ *mercenaria* vocatur.

Auctoritatem dicimus dignitatem tantam personæ, qua illius sententiam nobis amplectendam esse censemus, sive qua mereri creditur, ut illius placita sequamur. Est *theoretica*, quæ in rebus cognoscendis, &, quæ in agendis versatur, *practica*.

Quæ

Quæ ex pluribus domibus conftat focietas, ea *vicus*, &, qui illi infunt, *vicani*, appellantur. Eft *ejusdem fanguinis*, qui continet confanguineos patresfamilias feu eamdem familiam, & *diverfi*, qui continet diverfas familias, & aliunde accedentes patresfamilias. Ille dicitur *perfectitius*, hic *adventitius*. Eft *rufticanus*, qui quæftum fectatur naturalem in agricultura, re hortenfi, pecuaria, atque id genus alia, & *oppidanus*, qui utitur quæftu artificiali.

Ea, quæ vico propria eft, *falus* dici poteft *vicinalis*, vel *vicinitatis*.

Politica pacata curam falutis publicæ in bello, *bellica* eamdem fibi in bello vindicat.

Politica civilis cura eft fecuritatis, & tranquillitatis reipublicæ, *facra* religionis, *litteraria* fcientiarum, vel eruditionis, & *technica* artium in civitate ad ejus falutem perficiendarum.

Politicæ peritus feu omnem callens politicam, vocatur *politicus*, *civilis*, *politifch*, *gewitzigt*, *ein Weltmann*, *gefcheid*. Hinc cognitione politica inftructus eft *politicus theoreticus Staatsoder Weltkundig*. At prudentia politica gaudens, feu prudentia agendi politica clarus, *politicus practicus*, *Weltklug* appellatur. Si politicus theoreticus fcientia politica fit inftructus, *politicus folidus*, *Staatslehrer*, fi tantum fola nititur experientia, *ein Staatserfahrner*, *empiricus* appellatur. In primis tamen politica publica fubauditur, quando germanicum *Staat* additur. Hinc fi politicus practicus artis regnandi eft peritus, vocatur *ein Statfmann*, *Statift*, *oder Staatsklug*; fi vero tantum privatæ politicæ praxi gaudet, *Weltmann*, *Weltklug*, & pro acumine in his rebus, *fubtilis*, *fein*, nuncupatur.

Civitatem dicimus focietatem vicorum liberam, provehendo, quoad fieri poteft aut confultum videtur, bono communi intentam, vel quantum

 optat

optat salutis causa initam. Ingens vero hominum multitudo in societatem consociatorum, vel vicani in societatem consociati, *populus* audit, quodlibet vero membrum, aut quilibet consors civitatis, *civis* est.

Salus omnium seu communis, quam civitas optat, cuique consequendæ par est, si recte instituatur, vocatur *salus civilis*, item *publica*. Si in summi hominis boni consecutione fruitioneque non impedienda, consistit, *primaria*; sin in copia parabili hujus vitæ bonorum inferiorum, maxime externorum tuto perfruenda, *secundaria* nuncupatur.

Bonorum corporis, & fortunæ copiam, quanta con unctis viribus civitatis haberi potest, dicemus *affluentiam civilem*, immunitatem similem a metu ac sensu injuriarum, & calamitatum intra civitatem, *tranquillitatem civilem*, & immunitatem tantam vacuitatemque a metu injuriarum extra civitatem, seu a vi exterorum, & hostium, *securitatem civilem*. Quæ conjunctim sumta *prosperitatem*, seu successum rerum ad votum conficiunt. Salus publica dicitur *perfecta*, quatenus bonorum internorum, & externorum consensu gaudet, *imperfecta*, quatenus dissensu laborat.

Gradus perfectionis salutis publicæ materiales vocantur, qui nascuntur ex bonorum discrimine. Hinc sunt duplicis generis, alii, qui nascuntur ex differenti bonorum numero, alii ex magnitudine. Bona enim, vel sunt majora, vel minora. Ea differentiam magnitudinis, item vel plura, vel pauciora, quæ ipsorum est differentia ratione numeri. *Formales* sunt, qui debentur diversitati congruentiæ seu consensus dictorum bonorum.

Defectus salutis publicæ sunt incommoda, & nocumenta publica, periculaque evitabilia civitatis, invalescendo in exitium ejus tendentia, & facile abitura.

Mala

Mala publica externa sunt quælibet res adversæ civitatis.

Mala vocatur *civitas*, quæ laborat defectibus salutis publicæ evitabilibus ideoque sedulo evitandis.

Magna vocatur *civitas*, tum ratione potentiæ, tum cæteris paribus ratione amplitudinis ditionum.

Ratio status κατ' ἐξοχὴν dicta, non est nisi salus publica, saltem quidpiam sub ea comprehensum. *Spuria* est, quando nescio quidpiam erronei seu pravi sonat.

Si oppida propinqua coalescant in societatem, illa oppidorum societas vocatur *urbs*. Urbs primaria vero *metropolis* appellatur, uti appendices urbis *suburbia* vocantur.

Societas sui juris vocatur, quæ alterius societatis potestati non est subjecta, *alieni* vero, cui alterius societatis imperio est parendum. Societas urbium, oppidorum, & pagorum alieni juris appellatur *provincia*.

Ampliori sensu usurpatur *regio* pro limitato terræ habitatæ complexu, vel tractu pagorum aut oppidorum quodammodo sociatorum accipitur.

Consociatio civitatum integra efficit *civitatem compositam*, seu *corpus civitatum*. Consociatio civitatum ad nonnulla tantum communia bona sibi conjunctis viribus procuranda, civitates relinquens separatas suique juris non facit nisi *civitates fœderatas*.

Fœdera civitatum aut plura aut pauciora tantum bona communia tuenda sibi proposita habent, quorum illa *arctiora*, hæc *laxiora* dici possunt.

Civitates quadamtenus liberæ dicuntur, quæ ex parte sunt sui; ex alia vero parte alieni juris.

Civitas vocatur *sapiens*, quæ saluti publicæ tam

recte, & plene consulit, quam fieri conjunctis viribus potest, & quam felices aliæ civitates.

Civitates dicuntur *malevolæ*, quæ aliarum juribus & saluti detrahere student, vel si eas plane sibi subjicere nequeant, tamen earum damno se locupletare, & corroborare student.

Origo civitatum est determinatio existentiæ earum, sive ratio, qua esse incipiunt. Est *primaria*, quæ voluntate divina perspicienda vi naturali nititur, & *secundaria*, quæ voluntate humana, seu facto humano.

Si *nefas* notat quodlibet factum illicitum, quia causa unica item præcipua est causa proxima, *nefas proximum*, nempe origini civitatis designabit quævis facta illicita, causam dantia origini civitatis. Inde *nefas remotum*, vel *adventitium* notabit factum illicitum, quod origini civitatis causam non dat, vel non dedit.

Nefas erga Deum in origine civitatis admissum est *impietas publica*. Si se exerit omittendo id, quod publice erga Deum fieri debebat, *negativa*, sin committendo, quod publice erga Deum fieri minime debebat, *positiva* est. *Impietas publica deficiens* infert publicam irreligionem, vel denegationem, & defectum publici cultus divini. *Excedens* omnem cultum falsum involvit tum apertiorem, rum tectiorem, & subtiliorem.

Jusjurandum ab omnibus singulisque civibus in majorem pacti civitatis servandi fidem datum, *panagium*, vel *homagium* dicitur.

Respublica notat civitatem popularem, etiam *formam civitatis*.

Summum imperium vocatur *ordinarium*, quod dum exercetur jura privatorum civium, ipsis salva manent, *extraordinarium*, quod tantum in casu necessitatis exercendum est, ideoque pertinet ad jura necessitatis, & quidem publicæ. Hoc dicitur *jus eminens*.

Sicut

Sicut *obsequium* generatim vocatur compositio actionum ad alterius voluntatem, & imperata: ita *obsequium publicum* seu civile dicimus obsequium, quod publico imperio, vel publice imperatis præstatur, & *summum* quod imperio summo debetur.

Quando in civitate maxima ratio habetur æqualitatis membrorum ejusdem, quanta haberi potest, *isocratia* dici illa meretur.

Respublica popularis vitiosa *ochlocratia*, corruptio aristocratiæ, vel aberratio ab ea, *oligarchia* vocatur, uti monarchiæ vitiosa indolesaberratioque ab sua genuina indole *tyrannis*.

Respublica est *mixta*, quæ ex diversis seu aliquot simplicibus coalescit.

Civitas, cui Deus præest, jure vocatur *civitas Dei*.

Absolutissimus vocatur *monarcha*, cujus imperium prorsus est illimitatum, independens infinitumque.

Autocrator proprie non est nisi qui imperium in omnes habet a se ipso, suisque viribus retinet.

Intemperies circa peregrina vocatur excessus studii peregrinorum seu illegitimum peregrinorum studium.

Satisfacere utcumque pro peccatis dicitur, qui & patiendo quæcumque pati pro peccatis obligatur, & reparando data damna promerendoque tantum boni, cujus causa malum admissum nihili sit faciendum nec metuendum postea, ideoque nec imputandum amplius nec puniendum. *Perfecte* autem est, ex asse omnem peccati culpam tollere, & pœnam luere, & simul efficere, ne quid fit ab ipso peccatum peccandumque.

Expiare peccata est pro iisdem plene satisfacere, & ipsa *expiatio* non est nisi omnigena satisfactio pro peccatis præstita. Hinc expiare, vel plane piare sua peccata dicitur, qui pœnas iisdem prome-

ritas exsolvit, data reparat damna, quantum fieri potest, de futura securitate cavet; magnisque virtutibus ea quasi extinguit, & compensat. Expiare vero alterius peccata dicitur, qui ea in se recipit, tamquam sua essent, quum ipse sit insons, itaque præstando, & perpetiendo, quæ alter præstare, & perpeti debuisset, obtinet, ut alter culpa liberetur, & pœna, quantum salva justitia fieri potest. Hæc satisfactio dicitur *vicaria*, & ratione rei *meritoria*.

Clari dicuntur, quorum ampla, & magna est fama vel gloria, *obscuri*, quorum fama est exigua & angusta; qui sua virtute inclaruerant, *nobiles* per se, qui & geniti erant a claris majoribus, *generosi*; qui scientia aut arte florebant, *celebres*. *Claritas* civium oritur ex bonis, vel internis, ut præstantia virtutum intellectus, & voluntatis, vel externis, bonis fortunæ, v. c. claritate generis, & divitiarum. Hinc *claritatem* dicimus gloriam alicujus manifestam, & indubiam, *celebritatem* vero gloriam amplam, & magnam seu frequentem, & diffusam quaquaversum, quæ inde, & famam, bonam, magnam, & latam, nec tantum virtutum intellectus includit.

Gaudentes jure civitatis seu participes ejus sunt *cives*, *Staatsgenossen*, carentes eodem germani vocant *Unburger*. Quorum parentes jam fuerunt cives, *nati & veteres*; *facti* autem & *novi*, qui suo demum facto cives evaserunt. Sunt *extraordinarii*, qui ordinariorum loco non censentur. Tales sunt, qui certis privilegiis, & immunitatibus ab oneribus aliorum civium præditi sunt, ut *privilegiarii*, item, qui honoris causa jure civitatis potiti sunt, ut *honorarii*. *Justus civium numerus* dicitur, ea ipsorum frequentia, quæ ex asse sufficit civitatis fini consequendo.

Demagogi adulatores populo prava persuadentes salutantur.

Molli-

Mollities animi est fuga molestiæ illicita, vel effeminata. *Desidia* abstinentia a labore se digno ejusque temerarius neglectus, seu fuga debiti laboris.

Quando respublica temperatur, alia jura summa manent primaria, vel illi formæ propria, quæ formam diversæ indolis adscivit, alia vero seu communicantur cum adjuncta sic, ut vel plane alienentur, seu in illam transferantur, vel tamen primaria in illis consensu secundariæ u..us vel, & alterius formæ indigeat. Prioris g. neris *jura* dicuntur reservata, posterioris *alien.ta*, si non ex toto, saltem ex parte, aut *colla a*, scilicet in formam admixtam.

Regnum temperatum seu *legitimum* dicitur regnum per heterogeneam civitatis formam limitatum.

Temperatio regni a rege aut generatim republica externa procurata, *externa* quæ vero in ipso regno a rege, & populo, vel regni ordinibus tantum peragitur, sive volente, sive nolente, sed invito rege initur, *interna* dicenda est.

Populus, & civis, qui ab jure imperandi non est exclusus, *primarius*, qui ab eo exclusus est, *secundarius* dicitur.

Officia civium vel sunt *communia*, quæ non tantum civibus quibusque, sed & non civibus pacto seu expresso seu tacito incumbunt, vel *propria*, quæ solis civibus qua talibus sunt attributa. Ambo vel sunt *plebeja*, & vilia, quæ vulgari captu & educatione fieri possunt, nec ulla arte indigent, vel *eximia*, quæ non nisi ope artis cujusdam diu exercendæ præstari possunt. *Personalia* faciendo, *realia* dando absolvuntur.

Jurisdictio posita est in exercitio officiorum judicis, quæ requirunt, ut cognoscat causas in judicium deductas, pronunciet, a cuius parte stet veritas, victoque injungat præstationem ejus, quod vincenti debet, atque ut vi adigat illum ad præ-

ftandum, quod fua fponte præftare recufat, f. regimen vicarium. Eft autem alia *civilis*, quæ potiffimum privatam curat juftitiam, & æquitatem, alia *criminalis*, quæ publicæ falutis caufa agit, etiam, ubi privatus nemo accufat, juftitiam exercens, vel illa verfatur circa facta licita, hæc circa delicta, & crimina ulcifcenda, Vel *ordinaria*, quæ in caufis perfrequentibus, & fere quotidianis occupatur, vel *extraordinaria*, quæ etiam cognitio, & cognitio facra vocatur, & non nifi in caufis, ordinariæ jurifdictioni haud obnoxiis, & raro eft exercenda. Vel *ecclefiaftica*, quæ præeft rebus, & caufis ecclefiafticis difceptandis regendifque, vel *fæcularis*, quæ aliis rebus, & caufis civium dirigendis ad communem falutem. Jurifdictio, quæ verfatur circa delicta, & crimina capitalia, *criminalis* feverius, quæ circa actiones non capitales, feu reliquas, rectas pravafque, *civilis* benignius ac lenius regens vocatur. Jurifdictio *omnimoda*, *abfolutiffima*, *plena* vocatur, quæ & fuperiorem, & inferiorem civilem æque ac criminalem conplectitur, & *libera*, quando in ejus fententia partibus eft acquiefcendum, nec appellare licet. *Separata*, quam nemo alius fuam dicere, vel exercere poteft, & *concurrens*, quæ diverfis ea lege eft attributa, ut jus reddatur ab eo, ad quem prius eft devoluta.

Dominus confcientiæ vocatur, qui imperare poteft, quid de morali actionum natura fit habendum, ideoque etiam imperare poteft ftatuenda de religione.

Sacerdotes fuperiores fublimiori fcientia gravioris momenti majorifque difficultatis rebus facris pares funt ac præfunt, *inferiores* vero tantum levioris momenti rebus facris, & facilioribus.

Religio præpollens eorum vocatur, qui plurimum in civitate valent, & *infirmior*, qui minus valent in civitate, quam qui addicti funt alii religioni. La-

tius

tius illa quoque vocari poteſt, quæ in pluribus vel omnibus civitatibus notis plurimos & potentiores omnibus reliquis affeclas habet, ac *debilior*, quæ pauciores imbecillioreſque habet ſectatores. *Dominans* autem nonnullis dicitur religio rectoris, vel rectorum civitatis, quamvis rectius *aulica* ſeu imperantium dicatur.

Tolerari dicitur religio, cui a prævalente liber uſus ſacrorum ſuorum conceditur, præſertim publicus; *non tolerari*, cui liber ſacrorum uſus in civitate denegatur. Latius quoque tolerari in civitate dicuntur, qui ex eadem non ejiciuntur, & tum *non tolerantur*, qui ex eadem rejiciuntur ſeu expelluntur.

Contemtus religionis non in nudo neglectu eſt ponendus præſertim eorum, qui alterius ſunt religionis in civitate, ſed in actibus externis, meritum honorem aperte ipſi denegantibus.

Probitas notat virtutem, qua quiſque erga alios is eſt, qui per leges naturales eſſe debet, ſeu qua præſtat aliis officia, quæ ipſis debentur.

Juſtitia publica, quæ domi ſuum cuique jus tribuit, *probitas*, quæ foris, *æquabilitas* aut *magnanimitas* dici poteſt.

Præmia publica dicuntur hujuſmodi bona, quibus civitas remuneratur actiones ad ſalutem publicam præ cæteris facientes, vel ſcilicet remunerationem bene meritorum *redhoſtimentum* vocare, ſunt redhoſtimenta publica, quæ ideo a privatis dari nequeunt, ſaltem non niſi publica auctoritate dantur.

Amicitia ſumma hoc eſt publica, æque plurimorum in primis ſuperiorum & potentium dicitur *gratia*.

Rerum externarum utilium affluentia & copiæ *opes* dicuntur.

Honores civitatis publici excellentiam ſupra alios tribuentes nominantur *dignitates publicæ* ſum-

summa dignitas civilis, qua major & sublimior in civitate dari nequit, vel quæ ipsamet est majestas.

Dignitates publicæ aliæ sunt *steriles*, quibus nihil nisi honor tribuitur merentibus, aliæ *vestita*, *fructuosa*, *fertiles*, quæ fortunæ bonis junctæ.

Nobilitas non est nisi claritas virtutum eximiarum, & præstantia virtutum publice declarata, seu claritas virtutum publice illustrata, *civilis*, Si non nisi personæ, quæ illam meruit, nec retinet ultra, quam eam meretur, & si vel durat, donec vita superest, tamen morte hominis exstinguitur, *personalis* seu *electilis*. Si autem transmittitur, in liberos legitime procreatos, secundum legem transmissionis pacto aut consuetudines definitam, *hæreditaria* est.

Societates, quæ honoris virtutibus tribuendi causa ineuntur *honorifica*, &, quia ab imperatoribus regibusque institui solent, *augusta*, *sodalitates augustales* & *augustalitates* dicuntur. Si publica auctoritate institutæ sunt, *publica*. Si tantum privato coalescunt consensu, *privata* dicuntur.

Pharmaceuta sunt, qui scientiam & artem callent internoscendi, conservandi, & conficiendi medicamenta omnis generis; *pharmacopolia* officinæ, in quibus medicamenta parata venduntur, emunturque.

Valetudo dicitur *infirma* seu *imbecillis*, quando sanitas imperfecta sæpius ac facile perditur, ac in morbum abit, *firma* seu *stabilis*, quæ aut perpetua est, aut non nisi perraro labefactatur.

Incolumitas est salva bonorum corporis summa, ac *commoditas*, qua evitabilis actionum molestia arcetur, & *incommoditas*, sensus molestus vel sensus molestiæ in agendo, immo in statu nostro.

Jucunditas est voluptas sensuum innocua.

Honestamenta vocamus notas honestatis vel virtutis & meritorum decora externa ideoque in sensus incurrentia meritorum indicia, & si publica sunt, *in signia*,

Pru-

Prudentia publica pacata reipublicæ seu *irenarchia* est prudentia negotia publica tempore pacis quam optime administrandi & exequendi; seu ars feliciter regnandi, vel prudentia regnandi, h. e. gerendi rempublicam.

Circumspectio politica est accurata exploratio omnium, quæ ad recte determinandam actionem publicam prænoscenda sunt, vel scrutinium accuratissimum reip. optime gerendæ.

Cautio politica est habitus, vel studium impendentia reipub. mala avertendi vitandique pro virili. Proinde *politice catus* vel *cautus* pollet habitu prævisa pericula, & damna publica declinandi depellendique.

Consideratio politica latius dicta est accurata contemplatio & comparatio omnium, quæ in re quadam publica occurrunt moralitatis momentorum, vel strictius perpensio exacta, quid boni malive ex publica actione data pro re nata consequi possit.

Quia *consultatio* est actio intellectus, qua disquiritur, quid sit cuiquam agendum, nec ne, & *consilium* ipsum judicium, sitne aliquid faciendum necne, item sic an aliter, quomodo quidpiam sit faciendum, patet, consilium capi posse, vel proprio marte, vel adhibito quoque marte alieno. Posteriori casu dicitur *consilium* ab altero *quæri* aut *peti*, & ab altero dari petenti & consulenti respondeti. Discussio rationum utriusque partis in re illiquida, aut dubia, quid, & quomodo quidpiam sit faciendum, appellatur *deliberatio*, quæ & expensio rationum in utramque partem occurrentium est.

Summæ virtutes civiles, sine quibus prudentia per se imperandi dari nequit, *regia*, &, quatenus virtutes Dei, universum hoc sapientissima regentis imitari debent, & vicibus Dei fungi, *divina* appellantur. Si illæ in cælum extollunt facultatem cognoscendi, *theoretica* vel *contemplativa*. Quod si absol-

absolvunt culturam fastigium facultatis appetendi *practica* vel *activa* nominantur.

Ut *indulgentia* licita virtus est summæ bonitatis sapienter permittens, quæ non sunt vi impedienda, & largiens, quæ dari possunt, ita *severitas* boni publici causa pœnas promeritas, ut par est, exequitur, *lenitas* easdem prudenter mitigat, & *clementia* easdem propter bonum publicum remittit, quando *longanimitas* ex eadem ratione prudenter connivet, & eas differt in opportunius tempus.

Gravitas est virtus auctoritatis singularis paria.

Diligentia imperii notat habitum omnia ea committendi & expediendi, quæ felicis imperii ratio requirit.

Premi in civitate ratione rerum suarum dicuntur, quibus cæteris paribus pro sorte sua plus oneris imponitur, quam aliis ratione suæ sortis; *opprimi* autem qui propter ea, quæ in publicum conferunt, ad egestatem rediguntur.

Æs alienum nimium vocamus, cui dissolvendo debitor est impar.

Thesaurus publicus vocatur magna pecuniæ copia sumptibus reip. extraordinariis reservata.

Satellites, *Trabanten*, *Leibwacther* vocantur rectorum civitatis corporis custodes & *satellitium* eorum functio vel munus, scilicet custodia & defensio corporis aditus & accessus ad eum muniens, ne qua illi vis aut injuria inferatur. Omnis satellitum copia *cohors prætoria*, &, qui illi præest *præfectus prætorio* vocatur.

Prætorium est locus, ubi rector civitatis jus dicit vel legit.

Apparitores sunt ministri magistratus, quorum munus seu ministerium *apparitura*, functio ejus *apparitio* vocatur. Qui apparitores inter Romanos fasces magistratui præferebant cum securi, ad denotandam potentiam corpus affligendi, &

vita

vita privandi dicebantur *lictores*. Iisdem adjuncti sed fascibus destituti, *accensi*, ut *calatores*, qui vocabant cives ad magistratum & comitia, *viatores*, qui convocabant magistratus membra, *clavicularii*, qui carceribus includebant custodiendos a custodibus, ideoque & aperiebant carceres & claudebant jussu magistratus, & *commentarienses*, qui captivis præerant vel carceris magistri. Ad extorquendam refractariis solutionem debitorum sententia injunctam & supplicium dictatum infligendum opus est *executoribus carnificibusque*, ad vendenda publico bona in auctionibus, subhastationibusque *præcone*, ad angarias, & operas damnatorum publicas, ut par est, peragendas & nomina præstanda publica, *exactoribus*.

Leges modum imperandi rectoribus civitatum. itaque eorum officia & jura præscribentes, *publicæ*, sed privatorum vel singulorum subditorum erga se invicem actionibus regundis præscriptæ, *privatæ* sunt. Illarum systema & scientia *jus publicum*, harum vero *privatum* appellatur. Publicæ leges dum universæ civitatis regundæ norma sunt, dicuntur quoque *leges fundamentales*. Reliquæ leges pacatæ civitatis sunt privatæ eæque vel *communes* cunctis, certe plerisque, vel *peculiares* seu propriæ quibusdam civibus. Illæ versantur vel circa actiones sacras, in cultu Dei externo obeundas, vel circa externas profanas & vulgares in communi vita. Illarum leges appellantur *ecclesiasticæ*, harum *sæculares*, vel strictius dictæ *civiles*. Systema legum communium dat *jus commune*, *tum ecclesiasticum*, tum *civile*. Hæ, puto *peculiares*, & propriæ vel certum locorum & vitæ genus non paucorum, vel paucorum tantum aut singularium propriam indolem pro objecto habent. Illæ locorum & vitæ generis nominibus insigniuntur. Hæ *privilegia* appellantur. Si loca sint provinciæ, *leges* appellantur *provinciales*, si urbes

& op-

& oppida, *urbana*, *municipales*, *oppidana*, ve brevius *statuta*, si agri; & pagi *rustica* vel *rurale*.

His accedunt leges nobilitatis, quæ conficiunt *jus feudale* & *terrestre*, item leges scholasticæ, academicæ, & similes, eruditorum jura & officia docentes, quæ exhibent *jus litterarium*.

Tribunal, *drs Obergerichte* dicimus locum sive sedem, unde superior judex jus dicit vel forum sublime, & *summum* locum, unde ipse rector civitatis jura reddit.

Venia ætatis dari illi dicitur, qui, dum supra ætatem solitam sapit, jam sui juris esse debet.

Protectorium, *tutamentum*, *Schirimbrief*. dicitur privilegium, quo cuipiam indulgetur peculiaris clientela & securitas contra adversarios ipsosque magistratus, quando id mereri animadvertitur, ut ab injuria immunis sit.

Moratorium, *Anstandi oder ein oiserner Brief* vocatur privilegium induciarum debitori id merenti concessum, contra creditores ejus; ut immunis sit a rigore juris contra alios recepto, libere inter eos versari, & amice cum ipsis transigere possit.

Exemptiones civiles dicuntur immunitates ab iis, ad quæ alii cives obligantur, vel a communibus civium officiis.

Angaria, *Nothfuhrem* dicuntur exactæ vecturæ publicæ in viis publicis, ut, & vehicula comprehendant, & jumenta, & naves, quibus res urgente necessitate deducantur ad destinata loca, *& parangaria*, *Nothhulfenn* exactiones earum in viis privatis & extraordinariis.

Cursus publicus est institutum celeriter, & tuto quaquaversum transferendi quidquid libet. Res cursoria est, quidquid ad publicum cursum pertinet.

Est is, vel *terrestris* vel *nauticus*. Quorum hic absolvitur veloce tamquam navi brevi & veloci, *Jadschiff*, sive celere, *Packetboot*, ad oram pro-

propero remulio. Ille veredo, hoc est, vel equo tantum utitur vel manno celeri, aut vehiculo. Qui præ est rei veredariæ aut cursoriæ appellatur ejus *magister*; qui exercent illam, *veredarii*, *celeres*, *cursoros Obstboten*, *Postreuter*, *Postleiche*.

Superiores regiminis vicarii, *Oberstatthalter*; *obern Reichs-Regimentsstatthalter* occupantur circa præcipuorum majestatis jurium usum quam optimum præstandum, quando & quatenus ipsi rectores civitatum eidem per legitima impedimenta impares sunt; sed *summi*, *die obersten oder hocne Statthalter* funguntur vicibus rectorum civitatis in præstantissimis juribus majestatis exercendis; saltem in his eos sublevant adjuvantque. Hi si regum loco sunt *proreges*, si proconsulum, *proconsules* appellantur. Illi, qui vices autarchæ subeunt in civitate aliena, *legati*, & qui in civitate propria, cui nec secundus est, nec tertius a rege, *indigetes* sunt. Hi sunt *consiliarii*, si indigetes regiminis alii esse debent inventores, & *magistratus*, qui inventis quam optime in regimine bene administrando utantur.

Dotes ingenii ad regnandum nati aptique dicuntur *minerva regia*, *divinum seu eximium regium*, *talentum regium*.

Habitum perspiciendi, quid in regimine sit optimum factu, *dexteritatem politicam*. *Staatsgeschicklich-keit*, *Staatseinsicht* & *sollertiam* præstantiam dexteritatis hujus & excellentiam insignem appellamus. *Integritas politica* est constans & perpetua voluntas non agendi nisi omne id, quod dexteritas sollertiaque civilis dictat poscitque.

Præsentia animi est habitus summa attentione & perspicacia in rebus obviis illico penetrandi optimum factu & exequendi seu e rebus summis quam optime emergendi sive res gravissimas celeritate sagacitateque insolita expediendi.

Habitum explorandi veritatem moralem rei abscondita, vel inveniendi certam cognitionem in morali-

ralibus dicemus *artem perscrutandi* vel *docimasticam* & habitum verisimilem rei moralis cognitionem explorandi & adipiscendi, *artem conjectandi* vel *stochasticen* aut *ευστοχιαν*.

Statum hominis *naturalem* dicimus, qui non est in ipsius potestate, sed dependet a caussis naturalibus voluntati haud subjectis, & *moralem*, qui est in ipsius potestate ac potissimum ab usu voluntatis ejus dependet.

Fidelis brevisque recensio seu enarratio, rerum rationumque singularium a rectore civitatis decernendarum, *relatio*, seu expositio sententiæ, num & quomodo aliquid honeste agendum videatur, vel significatio ejus, qui danti videatur, ut fiat, *consilium*, & quod dandum est in negotiis reip. bene gerendæ, vel administrandæ, *publicum* appellatur.

Qui rectori civitatis a relationibus sunt, *referendarii*, qui a dandis consiliis *consiliarii*, qui responsa dabant imperatorum, *apocrisiarii*, & a rescriptis expediendis, *αντιγραφεις*. Si soli optimates rectori civitatis adjuncti sunt participes regiminis, *senatores regni*. Si duo ordines sint, alter superior, alter inferior, prior *senatores regni*, posterior *ordo equestris*, vel *curia superior & inferior regni* vocantur.

Referendarii, qui res ecclesiasticas singulares cum suis rationibus, *sacri*, qui vero res regiminis a rectore civitatis decernendas, ad ipsum referunt, *seculares* dicuntur.

Qui desideria petentium rectoribus civitatum recitare, & responsa reddere solent, *magistri libellorum supplicum* nuncupantur.

Consiliarii, experientiæ suæ omnisque, quæ haberi potest, memoriæ alienæ suæ potissimum civitatis actorum, legum, privilegiorum, & consuetudinum sua superstruentes consilia, *periti*, quatenus *peritia* haud vulgarem agendi habitum notat, ope experientiæ comparatum, & si in negotiis publicis acquisita sit, *publica* seu *civilis* salutatur;

&,

&, ſuamet perſpicientia rerum agendarum conſilia detegentes, & promentes *fecundi* nuncupantur. Si abutuntur acie mentis ad prava, & ſpuriam imitationem ſapientiæ *aſtuti*, & dum multiplici celeriter utuntur aſtutia, *verſuti*.

Egregium ingenium notat eximiam hujuſmodi facultatem, vel habilitatem, & habitum animadvertendi relationes eaſque ſibi ſubſtituendi. Sed *egregium giudicium* facultatem, & habitum recte internoſcendi, & perpendendi omnia ſua quoque excogitata, eorum momenta, & genuinam eorum inter ſe, & ad ſcopum relationem detegendi complectitur.

Ingenioſus dici ſolet, cujus ingenium inſigne naturale vulgari tantum modo excultum ſe prodit iis indiciis, inde ingenioſi æſtimari conſueverunt.

Subtilitas judicii eſt habitus ejus minutias quaſque abditas rei momentum habentes perſpiciendi, ſeu minima quoque negotii momenta, vel abſtruſa, & difficilia penetrandi.

Uti *conſilia* tempeſtive ſuſcepta, & tandiu penſitata, donec nihil melius iſtis dari poſſe liqueat, *matura* vocamus: ita *maturitas* eorum in omnigena tantaque, quantam capiunt, tempeſtivitate, & perfectione conſiſtit.

Uti is, qui ante ſagit, quam res oblata eſt, vel ſagiens futura, dicitur *præſagire*, ita *præſagitio* eſt futurorum fortuitorum acuta conjectatio, ſive ope præſentium præteritorumque ſagaciter colligatur ingenioſeque, quod eſt ſecuturum, ſive ope acuminis a priori conjectura profundiori derivetur. Habitus præſagiendi, quia aliquid divini ſpirare viſus eſt, *divinatio*, vel *ars divinandi*, *μαντικη*, *prædictio*, & præſenſio rerum fortuitarum dicitur.

Facundiam dicimus habitum, vel artem animi cogitata illico, perſpicue concinne apteque eloquendi. Hinc *facundus* eſt, qui facundia pollet, & utitur, ideoque diſertus eſt, ordine, blande,

 bre-

breviter, & cum tanta gratia dignitateque dicit, quæ consulit, ut persuadere possit.

Prudentia consultatoria activa aliorum consilia percontatur, vel alios consulit, *passiva* consulentibus optima consilia præbet, ut iis bene consulatur. Ita, & *consultor* vocatur, tum qui alterius consilium sibi expetit, & accipit, tum qui suum consilium petenti dat.

Consilia, quæ & in se sunt licita, & saluti publicæ pro præsenti rerum facie consentanea atque amica, *bona*, quæ vero illicita, & saluti hominum contraria, & inimica, *mala*, seu potius *nequitia*, *stropha*, *offucia*, & *vaframenta*, *schlave Ranke*, & quatenus celant pravitatem, *prastigia*, *Blendvverke* dici merentur.

Machiavellista dicuntur, qui in præjudicium salutis publicæ legumque cardinalium, omnia ad privata rectorum civitatis suaque commoda in vicariis functionibus suis agunt. Sed *monarchomachi*, qui non tendunt nisi ad jura rectorum civitatis subvertenda, & ad popularem, vel optimatum potestatem transferenda.

Applicare rite præscripta is dicitur, qui ea ipse accurate observat ac agit in partibus regiminis sibi concreditis, quæ legibus sunt præcepta, & omittit, quæ iisdem sunt prohibita, item, qui aliorum actiones ita dijudicat, ut leges jubent.

Leges civiles, si litteris perspicue consignatæ sunt, *scripta*, si usu vulgo receptæ, *non scripta* seu *consuetudines civiles* vocantur.

Abstinens vocatur, quisquis alienis per nefas consequendis neutiquam inhiat, nec sponte oblata violandi officii causa admittit, sed citra accissandi morem generoso animo aspernatur, & repellit, sua sorte contentus. Hinc *abstinentia* est virtus injustam iniquamque opum acquisitionem fugiens, vel ab illicito quæstu abhorrens, & incorruptibilis.

Prævaricatio dicitur corruptela cujusdam in contrarias partes.

Cau-

Causa, quæ civitatem universam, *publica*, & *privata*, quæ non nisi singulos, vel nonnullos cives afficiunt. Privatæ sunt *faciliores*, & apertæ ad legem habitudinis, vel *difficiliores*, & occultioris moralitatis ideoque *altioris indaginis*, hoc est, operosa indigent discussione, & comprobatione eorum momentorum, unde dijudicatio earum pendet. *Difficiles*, si ad liquidum perduci, & manifestari possunt, *certa & indubitata*, si nequeunt, *dubia aut incerta* sunt.

Prima notio vel cognitio, *ein Versuch der gütlichen Beylegung*, vel *die Behandlung der Gute* vocatur ea tractatio causæ, quæ studet diffidentes amice conciliare, sive est investigatio magistratus, num amice componi possit causa.

Commissarii & *recuperatores* vocantur, quibus jurisdictio extraordinaria est delegata vel commissa.

Contumacia vocatur denegatio obsequii erga magistratus, seu contemtus magistratus, inobedientia ostensus, speciatim est, quando rite citatus a magistratu, temere detrectat comparere, vel præsentiam sui facere. Itaque quum cives ejus jurisdictioni, cui subsunt, se sistere nolunt, *contumaces* dicuntur.

Impedimentum legitimum vocatur impedimentum officii per impotentiam haud imputandam, ideoque per impossibilitatem aliquam seu physicam & moralem.

Leges, modum & ordinem res in senatu regendi convenientissimum brevissimumque præscribentes, dicuntur *leges senatoriæ*, *die Rathsordnung*, modum vero & ordinem expeditissimum seu convenientissimum in judicio tractandi docentes, *leges judiciariæ*, vel *ordinatio judicii*, aut plerumque *processus judicii*, *die Gerichtsordnung*, *Processordnung*.

Procurator, *Anwald* est, qui aliena negotia domini mandatu administrat.

Advocati dicuntur jurisperiti, causas aliorum

legitime defendentes agentes, inepti autem pravique causidici *rabula*.

Instigator, *der Ruger*, notat maleficiorum publicorum delatorem ad magistratum.

Actuarii sunt juris periti, qui acta coram magistratu jurata fide calamo excipiunt, ordineque onscribunt, aut tradita scripta ordine debito digerunt conjunguntque ad eamdem causam pertinentia; vel brevius, qui acta judicialia conficiunt. *Notarii publici*, qui tantum actà extra judicium privata consignant, & contestantur. Sed *secretarii* sunt publici senatus scribæ, quorum fide acta coram, & a senatu litteris mandantur, ideoque tabulæ, & litteræ publicæ conficiuntur.

Si quis pluribus obæratus conturbat, impar factus solvendis præstandisque omnibus, quæ debet, *concursus creditorum* oriri solet, sive debitor sponte sua bonis cedat, sive creditores sibi metuentes sua repetant, & tum innotescat, ipsum non esse solvendo.

Insolentia magistratus vocatur abusus jurisdictionis ad alios premendos, & habitus hujusmodi.

Apostoli dicuntur libelli, quibus acta causæ interpositæ appellationis ergo transmittuntur, vel litteræ, magistratus appellationem comitantes. Sunt *dimissorii*, quibus appellationi sponte defertur, *refutatorii*; per quos judex improbat appellationem ejusque rationes redarguit, & *reverentiales*, quibus dubitatur, an illi deferendum sit, nihilominus dantur in obsequii, & reverentiæ testimonium erga superiorem.

Deserta statuitur *appellatio*, cum appellans intra fatale, h. e. statutum tempus eam non persequitur, quum vel plane non, vel non rite apostolos petiit, vel eosdem in termino præfixo non rede it, vel neglexit eam introducere sive deferre ad superiorem statuto tempore, & justificare. *Deserta* perhibetur *lis* vel *eremodicum*, quum vel actor vel reus suis partibus peragendis in judicio

dicio desunt; sive dum alteruter litigantium litem jam cœptam in termino fatali non persequitur. *Desertum* dicitur *vadimonium*, quum se judicio non sistit reus, qui vadem, h. e. fidejussorem dederat de judicio sisti, vel se sistendi in judicio.

Protectores cardinales sunt patroni jurium & causarum civitatis seu regni cujusdam in aula pontificia; vel sunt purpurati, juribus alterius civitatis in aula Papæ patrocinantes.

Missi seu *commissarii* sunt, qui a superiore intra civitatem eamdem ad alia loca proficisci ibique quædam negotia expedire jubebantur. *Deputati* seu *delecti* ab inferioribus intra eamdem civitatem ad superiorem, vel & ad aliam civitatem suorum negotiorum causa ire jubentur.

Hospes vocatur, quisquis mutua amicitia alterum se invisentem domo excipit & vicissim ab eo excipitur, seu amicus alterum coram sibi devinciens. Hinc *hospitalitas*, est amicitia in hospites liberalis; aut liberalitas in hospites.

Jura legatorum non alia sunt, quam quæ fluunt ex officiis, quæ ipsis ut legatis, ideoque ut peregrinis mandatariis, & hospitibus publicis debentur.

Asylum vocatur templum salutis inviolabile, vel locus tuti refugii.

Legativum vocatur viaticum, quo legati indigent itineris faciendi causa, cum suo comitatu.

Lautia vocantur munera, quæ regibus eorumque legatis donari consueverunt, qui suis partibus recte sunt functi.

F I N I S.

INDEX DEFINITIONUM.

A

Cul-

Im-

oppi-

M

Pa-

Præ-

Stipen-

T

Usus

F I N I S.

A01 1453406

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





